DE DIEBVS DECRETORIIS EPITOME ASTROSOPHICA

D. PLACIDI DE TITIS

PERVSINI.









Carlo Sacco Delin. Simone Durello fecit.

DE DIEBVS DECRETORIIS
ET ÆGRORVM DECVBITV

Ad iuuandam præclaram Artis Medicæ Professionem
iuxta Summor. Pontif. & Sacr. Concil.
Tridentini indultum,

EPITOME ASTROSOPHICA

Physicis maximè rationibus, deindè
Galeni, Aristot. & Ptolemæi
præceptis contexta:

A'

D. PLACIDO DE TITIS
PERVSINO OLIVETANO
In Almo Tycinensi Gymnasio
Mathematicar. Professore

publicè exhibita.

*Cum LX. Exemplis apud grauissimos
Authores inuentis.*

TOMVS PRIMVS.

Comprato giuli 8. tom 2. 51.
Aprile 17 1675
Fili J. Gruther em.



TICINI REGII, M. DC. LX.

Ex Officina Ioannis Andreæ Magrij in Via Noua.

AD EXCELLENTISS. SENATVS
Prouinciæ Mediolanensis
ILLVSTRISSIMOS DD.
D. COMIT.
BARTHOLOMÆVM ARESIVM
Regentem, & Præsidem.

SENATORES.

D.Io. Guidobonum Caualchinum.
D.Carolum Patellanum.
D.Franciscum Mariam Casnedum.
D.Hyacintum Orrigonum.
D.Gabrielem de la Hoz.
D.Ioannem Bracherium.
D.March. Hier. de Talentis de Florentia.
D.Thomam Persichellum.
D.Io. Franc. Ramos del Manzano.
D.Don Ludouicum Franco Carillo.
D.Io. Baptistam de Puteo.
D.Comit. Carolum Archintum.
D.March. Carolum Galeratum.
D.Aurelium Buttigellam.


VTVM Vestrum, Amplissimi Patres, vbi simul & munus decoris ex ingenita eorumdem beneficentia pri-

mum accepissem, paratam decerni Mathematicę Cathedram apud clarissimum hoc Ticinense Gymnasiũ iuuandæ præ cæteris gratia Medicæ Professionis; illicò ad eam Astronomiæ partem me contuli, quæ suis propositam rem attrectare influxibus videbatur. Arduum opus proculdubio, si cui morborum, & Artis Medicę peritia desit; vtpote qui frustra percuntamur à causis effectus, quorum ignoramus naturam; & quid nam reliquum, nisi quod nescimus petimus? Galenum ijs consulturus operæ prætium adire censui, & quem Astronomicis Disciplinis egregiè peritum, ac sedulò vtentem lętus reperi, ducem sequor, mecum comite ascita ratione è Philo-

sophicis

ſophicis elementis deducta. Aſſerui, diſſeruiq; & ſæpè ſæpius in aliorum ſententiam, quò ſummorum Doctorum perſpicuis verbis, & argumentationis robore trahi ſum viſus. Arbitrium Veſtrum Vigilantiſſimi, & publici boni, & Vniuerſitatis literariæ Patres, ſtudio plenæ rerum notitiæ; Patrocinium Veſtrum, ſi quas prodidi rationes meũ ſuadent cogitatum; verum diſſona tamen audiatur vox, obſequenti expoſtulo reuerentia. Nunquam inſenſos adfuturos Dies Criticos, quibus Aſtra præſint benigna, teſtatum Galenum legimus; nullam quandoq; pertimeſcet ab inuido ſidere Criſim Opus hoc, ſi Veſtræ ſplendorem dignitatis, qui viciſſim

ac Luminaria Cæli Inſubrios Horizontes rore, caloreq; affluentia inquam, & incolumitate replens animat & beat, ſibi influere ſenſerit; Quin immò pacati dulcedinem ocij apud ſublimem de Sideribus Diſciplinam perpetuò tranſiget; tum inexhauſto munificentiæ Veſtrę fonte irrigatum, ad nouam vlterius, & vberiorem frugem ſurculos pandet. Diù Veſtro, noſtroq; bono Valete.



Ad humanissimum Lectorem.



Olumnas Herculis, & Alexandri posuisse fortè fortuna sibimet visum erit, qui pronunciarunt; Nihil dictum, quod non prius dictum; perinde ac nullum reliquum supersit iter ad noua de Naturæ arcanis, & mente cognoscenda, & verbis exprimenda; quin... ripserunt iam Authores vniuersa deprompserint, quæ rmonem sub nostrum, immò & intellectum cadunt: Amplius, & ab ipsa Natura nihil vltra, quam quæ mel, aut hucusq; producta fuerint exhiberi possit. Salo-on ille eruditissimus, qui non ab homine, sed è Cælo do-ius protulit; Nihil nouum sub Sole. Philosophorum isci quidam opinabantur in reuersione motus cunctorum lerum ita redire eadem, quæ præterierunt vniuersa, huiusmodi effectus quis nuncupare nouos minimè possit, uippe qui præteritis circuitibus iam aliàs ortum suscepis-nt, cum censerent non minus impiè, quam ineptè, Mun-m æternum degere, & in eosdem tùm circuitus, tùm fectus perpetuò duci. Peripateticorum Princeps dum rum ortum, & interitum contemplaret, perpetuam tuit rerum generationem, & corruptionem, eademq; nouo generari, quæ prius occubuerant; ipse tamen con-

tinuò rem hanc dilucidioribus verbis amplectitur inquiens. Principium autem considerationis rursus hoc, vtrum similiter omnia reuertuntur, an non, sed hæc quidem numero, hæc autem specie solum. Quorumcunq; igitur incorruptibilis est substantia, quæ mouetur, manifestum quod & numero eadem erunt, motus enim sequitur quod mouetur. Quorumcunq; autem non, sed corruptibilis, necesse est specie, numero autem non reuerti. *Hactenus ille: Hinc porrò accipimus, nec ipsam naturam quicquam noui moliri, neq; nos loqui, quod non factum, vel effatum iam prius extiterit; cum discrimine tamen, vt quorum corruptibilis est substantia, genere, & specie tantum oriantur eadem, numero nequaquam; vniuersalis enim genitrix rerum omnium Natura eadem est, & constans perpetuò in suo esse, & virtutis robore, vt non desunt præclaræ ingenia, quæ id satis ostendunt; attamen ex circumstantibus, & adiectis diuersa adhuc gerere posse proculdubio fatendum est. Et sanè quidem Naturam permanere immutabilem eamdem, atq; similiter agere semper, ita quod in multiplicandis effectibus genere, & specie diuersis proficere minimè possit, vltrò fateor; at quod hominis intellectus vniuersas, & singulas Naturæ res iam olim plenè cognouerit, quod nihil amplius inquirendum supersit, nisi qui cæcitate captus ignorat quæ fiunt in Mundo, perhibere conabitur. Et ne regrediamur ad remotiora tempora hoc nostro seculo, extra occidentales Herculis*

columnas

columnas nonne inuenta est penè medietas habitabilis Terræ, America scilicet immensis Thesauris onusta, & vberrimè fœta, simulque complementum longitudinis Orbis Telluris, quod penes Geographicas Tabulas perpetuò à priscis desiderabatur? Et in Cœlo recentiores quot, & quam admirabilia Thelescopio nuper cognouerunt, quæ sapientissimos quosq; pariter latebant; vel præ cæteris in Solari disco nasci maculas quasdam, augeri, mutari, minui, tandemq; in nihilum abire? Errones permutare suam formam, & figuram? Stellulas numero quatuor circa Iouem perpetuò circumduci, immò penè innumerabiles describere Galaxiam, quam lacteam viam vocant, de qua etiam Peripateticorum Princeps deceptus est? In artibus vniuersis, atq; disciplinis, an quotidie non exurgunt ingenia, quæ nouis, & subtilioribus inuentis rationibus ad lucem hanc miræ publicæ tum vtilitatis, tum pulchritudinis patefaciunt ornamenta? Quod si paulo superiores ætates intueamur; quot portenta ingenium hominis excitauit? Quid tormentum bellicum? nonne vel ictu vel crepitu ad ruinam, & terrorem par fulminibus? Quid pulueres pyrij? qui velut è gurgite Vesuuij erumpentes igniti typhones euertunt arces, & montes, immò extollunt in æthera, ipsumq; contra Cœlum quasi dimicantes impellunt? At sanè profectò si cuncta, & singula recensere studeam, quæ ab hominum ingenio è naturæ abditis nuper ad lucem eruta sunt, & quidem admiranda, ingens volumen præter institutum succrescet. Superiori-

bus Annis Cælestis Philosophiæ titulo, rationibus, & clarissimorum Doctorum præceptis disserendo exhibui naturalia principia totius Astrologiæ, quæ si quis antea tradiderit non noui: cumq; ijs nemo hucusq; rationes obijcere visus fuerit, non defuit tamen qui dixerit; hæc si vera essent priscos latere non debuisse, qui disciplinam hanc ab ignorantiæ tenebris deduxerunt. Verum enimuerò miserrima profectò succrescentium temporum, & ingeniorum conditio, quibus nihil vltra datur intelligendi, aut inueniendi; immò cito dicam, felicissima ætas, in qua cuncta Naturæ arcana (si verum sit) declarata, & manifesta apparent: Attamen, quæso te benigne Lector, putasne forsitan industrijs tuis laboribus eorum omnium iam potiri, quæ fæcundissima Mater Natura suo tam lato gremio recondit? faxit animus tuus, ne inficias eas, plura latere, quæ penè innumera, quam teneas, quæ tibi sanè paucula: Sed age nunc, sublatis autumantium columnis: Nihil dictum, quin aliàs dictum; quod in Psyttacho sermonis alieni pulchrè memore supersit; nos ad attingendos Naturæ thesauros, qui proculdubio mirandi adhuc latent, vlterius progrediamur. Authores, & plurimi, & doctissimi reperti sunt, qui de Criticis Diebus ita copiosè simul, & eruditè scripserunt, vt fatendum videatur, nec rationes, nec verba superesse, quæ copiosissimis eorum voluminibus addi iure merito queant: nihilominus tamen si rem hanc diligentius perscrutemur, dicamus liceat, quoad ea, quæ prima principia, & causas inuestigat, vnde Critica, Indicatiua, &

Climacterica momenta, vndeq; morborum in specie qualitates, & ad quæ corporis membra dirigantur, exordium sumunt, atq; plura alia, vel abscondisse, maiori saltem ex parte, si nouerant, quo forsitan posteris non deeßet, cui vacarent, vel certè sic latuisse, vt quibus carebant, exhibere minimè potuerint: Hoc institutum, hoc propositum, & peculiaris finis mei huius laboris qualis sit, causas videlicet, & principia eorum ex Astris ratione, & summorum Doctorum præceptis accuratè perquirere, quæ si clarius innotescant, quam per externa tantummodo signa penes decumbentes, & facilius, & validiori manu morbis occurratur; neq; enim nunquam contingit internos morbos adeo se se ad abdita loca, & secretas corporis partes reuocare, vt ipsorum etiam Hippocratis, & Galeni sensum, & intelligentiam penitus euaderent. Quod si narretur (ad Artis quidem præstantiam, haud hominis laudem) cognitam ex Astris non semel apparuisse morbi qualitatem, & speciem, & ab eo affectam internam partem in absente nobili ægroto, de quo plurimorum in arte Medica doctissimorum accitum apud eumdem collegium, remotè à rei veritate cuncti diffidebant, nemo fortaßè credet; sed vtiq; credidisset si & morbi declaratam qualitatem, & signa, & partes læsas, & subsequutos effectus fuisset intuitus, cuius rei adhuc viuunt clarissimi testes: Hæc inquam ad Astrosophiæ laudem, non hominis dicta sunto. Cæterum cum Excellentissimi Senatus Mediolanensis ab initio studium percepissem, vt eam Mathe-

maticæ partem in Almo Ticinensi Gymnasio lustrarem, quæ Medicæ Professioni opitulari videretur; placuit ea, quæ ibidem viua voce præstiti, notis quoq; largiri, quibus tum ij, qui præsentes interfuerunt, denuo vtcumq; placuerit; tum ij, qui absentes expetere possent, compotes fiant; tum demum qui rerum naturalium intimam cognitionem ex animo concupisco, meam sententiam coram sapientes ponere statui, quo sanum de his arbitrium exoraturus ipsi remittant. De reliquo ne mirum sumas amice Lector, si me paucis in re tam graui loquutum offendis; de more soleo; titulus Operis postulabat; commodo tandem tuimet ipsius consulere duxi, ne videlicet in prolixis superuacaneis labore lustrandis defatigareris: te propterea non pigeat omnia, & singula, & verba, & propositiones accuratè contemplari; facilitatem enim cum breuitate, quæ rarò iunguntur in hac breui Epitome inuenies; indeq; nanciseris tum animi iucunditatem, tum salutis, & exhibendæ, & hauriendæ summam vtilitatem, quam tibi ominor plenam, & felicem. Valeas.



CVM



VM opus à R. P. D. Placido Tito Perusino Monaco nostræ Congregationis in Almo Papiensi Studio Lectore Mathematico Latino Idiomate conscriptum, cui titulus est. *Dies Decretorij Epitome &c.* reuisum, ac recognitum fuerit ab expertis in professione huiusmodi scientiæ, & in lucem edi posse probauerint, auctoritate à Reuerendiss. P. Generali D. Benedicto Bonioanne Veronensi nobis ad hoc delegata, facultatem facimus vt Typis mandetur, si ijs quorum interest, videbitur; ideo has litteras manu nostra subscriptas, sigilloque nostro Visitatoratus munitas damus. Mediolani, die 2. Ianuarij Anni 1660.

D. Gregorius Raynoldus Abbas Visitator Oliuetanus in Prouincia Insubriæ.



Pus hoc D. Placidi de Titis Perusini Oliuetani in Almo Ticinensi Gymnasio Mathematicarum Professoris celeberrimi, inscriptum. DE DIEBVS DECRETORIIS &c. EPITOME ASTROSOPHICA &c. Legi, & perlegi de mandato Reuerendiss. Patris Inquisitoris Papiensis Ego infrascriptus non modica animi delectatione, ac voluptate propter miram, eruditamque applicationem Astrologicæ obseruationis ad Medicam Artem, Medicis perquam vtilem, & necessariam. Quapropter, cum nihil in ipso inuenerim quod orthodoxæ fidei, aut Sacri Concilij Tridentini Canonibus, aut bonis moribus aduersetur, vt in lucem totum lucidum prodeat haud indignum iudico.

Dat. Papiæ in Conuentu S. Crucis die 18. Septembris 1659.

Fr. Dauid ab Ameno Sacræ Theologiæ Lector Generalis, & Definitor.

IMPRIMATVR Inquis.

Imprimat. Primic. Phryg. Vic. Gener. Capit.

Imprimat. Carolus Franciscus Castillioneus Reg. Fiscalis nomine Illustris. D. Senatoris Prætoris.

INDEX

DE DIEBVS DECRETORIIS
ET ÆGRORVM DECVBITV

Ad iuuandam præclaram Artis Medicę Professionem iuxta Summor. Pontif. & Sacr. Concil. Tridentini indultum,

EPITOME ASTROSOPHICA

Physicis maximè rationibus, deindè Galeni, Aristot. & Ptolemæi præceptis contexta:

A'

D. PLACIDO DE TITIS
PERVSINO OLIVETANO
In Almo Tycinensi Gymnasio Mathematicar. Professore


publicè exhibita.

Cum LX. Exemplis apud grauissimos Authores inuentis.


TOMVS PRIMVS.

Comprato giuli 8. tom 2. 51.
Adì 17 1675
Filip J. Grether
cm.









TICINI REGII, M. DC. LX.

Ex Officina Ioannis Andreæ Magrij in Via Noua.

AD EXCELLENTISS. SENATVS
Prouinciæ Mediolanensis
ILLVSTRISSIMOS DD.
D. COMIT.
BARTHOLOMÆVM ARESIVM
Regentem, & Præsidem.

SENATORES.

D.Io. Guidobonum Caualchinum.
D.Carolum Patellanum.
D.Franciscum Mariam Casnedum.
D.Hyacintum Orrigonum.
D.Gabrielem de la Hoz.
D.Ioannem Bracherium.
D.March. Hier. de Talentis de Florentia.
D.Thomam Persichellum.
D.Io. Franc. Ramos del Manzano.
D.Don Ludouicum Franco Carillo,
D.Io. Baptistam de Puteo.
D.Comit. Carolum Archintum.
D.March. Carolum Galeratum.
D.Aurelium Buttigellam.


VTVM Vestrum, Amplissimi Patres, vbi simul & munus decoris ex ingenitá eorumdem beneficentia pri-

num

mum accepissem, paratam decerni Mathematicę Cathedram apud clarissimum hoc Ticinense Gymnasiũ iuuandæ præ cæteris gratia Medicæ Professionis; illicò ad eam Astronomiæ partem me contuli, quæ suis propositam rem attrectare influxibus videbatur. Arduum opus proculdubio, si cui morborum, & Artis Medicę peritia desit; vtpote qui frustra percuntamur à causis effectus, quorum ignoramus naturam; & quid nam reliquum, nisi quod nescimus petimus? Galenum ijs consulturus operæ prætium adire censui, & quem Astronomicis Disciplinis egregiè peritum, ac sedulò vtentem lętus reperi, ducem sequor, mecum comite ascita ratione è Philo-

sophicis

ſophicis elementis deducta. Aſſerui, diſſeruiq; & ſæpè ſæpius in aliorum ſententiam, quò ſummorum Doctorum perſpicuis verbis, & argumentationis robore trahi ſum viſus. Arbitrium Veſtrum Vigilantiſſimi, & publici boni, & Vniuerſitatis literariæ Patres, ſtudio plenæ rerum notitiæ; Patrocinium Veſtrum, ſi quas prodidi rationes meũ ſuadent cogitatum; verum diſſona tamen audiatur vox, obſequenti expoſtulo reuerentia. Nunquam inſenſos adfuturos Dies Criticos, quibus Aſtra præſint benigna, teſtatum Galenum legimus; nullam quandoq; pertimeſcet ab inuido ſidere Criſim Opus hoc, ſi Veſtræ ſplendorem dignitatis, qui viciſſim

ac Luminaria Cæli Insubrios Horizontes rore, caloreq; affluentia inquam, & incolumitate replens animat & beat, sibi influere senserit; Quin immò pacati dulcedinem ocij apud sublimem de Sideribus Disciplinam perpetuò transiget; tum inexhausto munificentiæ Vestrę fonte irrigatum, ad nouam vlterius, & vberiorem frugem surculos pandet. Diù Vestro, nostroq; bono Valete.



Ad

Ad humanissimum Lectorem.



Olumnas Herculis, & Alexandri posuisse forte fortuna sibimet visum erit, qui pronunciarunt; Nihil dictum, quod non prius dictum; perinde ac nullum reliquum supersit iter ad noua de Naturæ arcanis, t mente cognoscenda, & verbis exprimenda; quin ripserunt iam Authores vniuersa deprompserint, quæ rmonem sub nostrum, immò & intellectum cadunt: mplius, & ab ipsa Natura nihil vltra, quam quæ nel, aut hucusq; producta fuerint exhiberi possit. Salo- on ille eruditissimus, qui non ab homine, sed è Cælo do- us protulit; Nihil nouum sub Sole. Philosophorum isci quidam opinabantur in reuersione motus cunctorum lerum ita redire eadem, quæ præterierunt vniuersa, huiusmodi effectus quis nuncupare nouos minimè possit, ippe qui præteritis circuitibus iam aliàs ortum suscepis- nt, cum censerent non minus impiè, quam ineptè, Mun- m æternum degere, & in eosdem tùm circuitus, tùm fectus perpetuò duci. Peripateticorum Princeps dum rum ortum, & interitum contemplaret, perpetuam tuit rerum generationem, & corruptionem, eademq; nouo generari, quæ prius occubuerant; ipse tamen con-

tinuò rem hanc dilucidioribus verbis amplectitur inquiens. Principium autem considerationis rursus hoc, vtrum similiter omnia reuertuntur, an non, sed hæc quidem numero, hæc autem specie solum. Quorumcunq; igitur incorruptibilis est substantia, quæ mouetur, manifestum quod & numero eadem erunt, motus enim sequitur quod mouetur. Quorumcunq; autem non, sed corruptibilis, necesse est specie, numero autem non reuerti. *Hactenus ille: Hinc porrò accipimus, nec ipsam naturam quicquam noui moliri, neq; nos loqui, quod non factum, vel effatum iam prius extiterit; cum discrimine tamen, vt quorum corruptibilis est substantia, genere, & specie tantum oriantur eadem, numero nequaquam; vniuersalis enim genitrix rerum omnium Natura eadem est, & constans perpetuò in suo esse, & virtutis robore, vt non desunt præclara ingenia, quæ id satis ostendunt; attamen ex circumstantibus, & adiectis diuersa adhuc gerere posse proculdubio fatendum est. Et sanè quidem Naturam permanere immutabilem eamdem, atq; similiter agere semper, ita quod in multiplicandis effectibus genere, & specie diuersis proficere minimè possit, vltrò fateor; at quod hominis intellectus vniuersas, & singulas Naturæ res iam olim plenè cognouerit, quod nihil amplius inquirendum supersit, nisi qui cæcitate captus ignorat quæ fiunt in Mundo, perhibere conabitur. Et ne regrediamur ad remotiora tempora hoc nostro seculo, extra occidentales Herculis*

columnas

columnas nonne inuenta est penè medietas habitabilis Terræ, America scilicet immensis Thesauris onusta, & vberrimè fœta, simulque complementum longitudinis Orbis Telluris, quod penes Geographicas Tabulas perpetuò à priscis desiderabatur? Et in Cælo recentiores quot, & quam admirabilia Thelescopio nuper cognouerunt, quæ sapientissimos quosq; pariter latebant; vel præ cæteris in Solari disco nasci maculas quasdam, augeri, mutari, minui, tandemq; in nihilum abire? Errones permutare suam formam, & figuram? Stellulas numero quatuor circa Iouem perpetuò circumduci, immò penè innumerabiles describere Galaxiam, quam lacteam viam vocant, de qua etiam Peripateticorum Princeps deceptus est? In artibus vniuersis, atq; disciplinis, an quotidie non exurgunt ingenia, quæ nouis, & subtilioribus inuentis rationibus ad lucem hanc miræ publicæ tum vtilitatis, tum pulchritudinis patefaciunt ornamenta? Quod si paulo superiores ætates intueamur; quot portenta ingenium hominis excitauit? Quid tormentum bellicum? nonne vel ictu vel crepitu ad ruinam, & terrorem par fulminibus? Quid pulueres pyrij? qui velut è gurgite Vesuuij erumpentes igniti typhones euertunt arces, & montes, immò attollunt in æthera, ipsumq; contra Cælum quasi dimicantes impellunt? At sanè profectò si cuncta, & singula recensere studeam, quæ ab hominum ingenio è naturæ abditis nuper ad lucem eruta sunt, & quidem admiranda, ingens volumen præter institutum succrescet. Superioribus

bus Annis Cælestis Philosophiæ titulo, rationibus, & clarissimorum Doctorum præceptis disserendo exhibui naturalia principia totius Astrologiæ, quæ si quis antea tradiderit non noui: cumq; ijs nemo hucusq; rationes obijcere visus fuerit, non defuit tamen qui dixerit; hæc si vera essent priscos latere non debuisse, qui disciplinam hanc ab ignorantiæ tenebris deduxerunt. Verum enimuerò miserrima profectò succrescentium temporum, & ingeniorum conditio, quibus nihil vltra datur intelligendi, aut inueniendi; immò cito dicam, felicissima ætas, in qua cuncta Naturæ arcana (si verum sit) declarata, & manifesta apparent: Attamen, quæso te benigne Lector, putasne forsitan industrijs tuis laboribus eorum omnium iam potiri, quæ fæcundissima Mater Natura suo tam lato gremio recondit? faxit animus tuus, ne inficias eas, plura latere, quæ penè innumera, quam teneas, quæ tibi sanè paucula: Sed age nunc, sublatis autumantium columnis: Nihil dictum, quin aliàs dictum; quod in Psyttacho sermonis alieni pulchrè memore superfit; nos ad attingendos Naturæ thesauros, qui proculdubio mirandi adhuc latent, vlterius progrediamur. Authores, & plurimi, & doctissimi reperti sunt, qui de Criticis Diebus ita copiosè simul, & eruditè scripserunt, vt fatendum videatur, nec rationes, nec verba superesse, quæ copiosissimis eorum voluminibus addi iure merito queant: nihilominus tamen si rem hanc diligentius perscrutemur, dicamus liceat, quoad ea, quæ prima principia, & causas inuestigat, vnde Critica, Indicatiua, &

Cli-

Climacterica momenta, vndeq; morborum in specie qualitates, & ad quæ corporis membra dirigantur, exordium sumunt, atq; plura alia, vel abscondisse, maiori saltem ex parte, si nouerant, quo forsitan posteris non deeßet, cui vacarent, vel certè sic latuisse, vt quibus carebant, exhibere minimè potuerint: Hoc institutum, hoc propositum, & peculiaris finis mei huius laboris qualis sit, causas videlicet, & principia eorum ex Astris ratione, & summorum Doctorum præceptis accuratè perquirere, quæ si clarius innotescant, quam per externa tantummodo signa penes decumbentes, & facilius, & validiori manu morbis occurratur; neq; enim nunquam contingit internos morbos adeo se se ad abdita loca, & secretas corporis partes reuocare, vt ipsorum etiam Hippocratis, & Galeni sensum, & intelligentiam penitus euaderent. Quod si narretur (ad Artis quidem præstantiam, haud hominis laudem) cognitam ex Astris non semel apparuisse morbi qualitatem, & speciem, & ab eo affectam internam partem in absente nobili ægroto, de quo plurimorum in arte Medica doctissimorum accitum apud eumdem collegium, remotè à rei veritate cuncti diffidebant, nemo fortaße credet; sed vtiq; credidisset si & morbi declaratam qualitatem, & signa, & partes læsas, & subsequutos effectus fuisset intuitus, cuius rei adhuc viuunt clarissimi testes: Hæc inquam ad Astrosophiæ laudem, non hominis dicta sunto. Cæterum cum Excellentissimi Senatus Mediolanensis ab initio studium percepissem, vt eam Mathe-


matica partem in Almo Ticinensi Gymnasio lustrarem, quæ Medicæ Professioni opitulari videretur; placuit ea, quæ ibidem viua voce præstiti, notis quoq; largiri, quibus tum ij, qui præsentes interfuerunt, denuo vtcumq; placuerit; tum ij, qui absentes expetere possent, compotes fiant; tum demum qui rerum naturalium intimam cognitionem ex animo concupisco, meam sententiam coram sapientes ponere statui, quo sanum de his arbitrium exoraturus ipsi remittant. De reliquo ne mirum sumas amice Lector, si me paucis in re tam graui loquutum offendis; de more soleo; titulus Operis postulabat; commodo tandem tuimet ipsius consulere duxi, ne videlicet in prolixis superuacaneis labore lustrandis defatigareris: te propterea non pigeat omnia, & singula, & verba, & propositiones accuratè contemplari; facilitatem enim cum breuitate, quæ rarò iunguntur in hac breui Epitome inuenies; indeq; nanciseris tum animi iucunditatem, tum salutis, & exhibendæ, & hauriendæ summam vtilitatem, quam tibi ominor plenam, & felicem. Valeas.





VM opus à R. P. D. Placido Tito Perusino Monaco nostræ Congregationis in Almo Papiensi Studio Lectore Mathematico Latino Idiomate conscriptum, cui titulus est. *Dies Decretorij Epitome &c.* reuisum, ac recognitum fuerit ab expertis in professione huiusmodi scientiæ, & in lucem edi posse probauerint, auctoritate à Reuerendiss. P. Generali D. Benedicto Bonioanne Veronensi nobis ad hoc delegata, facultatem facimus vt Typis mandetur, si ijs quorum interest, videbitur; ideo has litteras manu nostra subscriptas, sigilloque nostro Visitatoratus munitas damus. Mediolani, die 2. Ianuarij Anni 1660.

D. Gregorius Raynoldus Abbas Visitator Oliuetanus in Prouincia Insubria.



Pus hoc D. Placidi de Titis Perusini Oliuetani in Almo Ticinensi Gymnasio Mathematicarum Professoris celeberrimi, inscriptum. De Diebvs Decretoriis &c. Epitome Astrosophica &c. Legi, & perlegi de mandato Reuerendiss. Patris Inquisitoris Papiensis Ego infrascriptus non modica animi delectatione, ac voluptate propter miram, eruditamque applicationem Astrologicæ obseruationis ad Medicam Artem, Medicis perquam vtilem, & necessariam. Quapropter, cum nihil in ipso inuenerim quod ortodoxæ fidei, aut Sacri Concilij Tridentini Canonibus, aut bonis moribus aduersetur, vt in lucem totum lucidum prodeat haud indignum iudico.

Dat. Papiæ in Conuentu S. Crucis die 18. Septembris 1659.

Fr. Dauid ab Ameno Sacræ Theologiæ Lector Generalis, & Definitor.

IMPRIMATVR Inquis.

Imprimat. Primic. Phryg. Vic. Gener. Capit.

Imprimat. Carolus Franciscus Castillioneus Reg. Fiscalis nomine Illustriss. D. Senatoris Prætoris.

INDEX

INDEX

Capitum Operis, & Exemplorum Decumbentium.

Quæ

15. De-


Menda corrigantur hoc modo.

Pag. 1. Versu	12. tum terrarum	tum terram
4.	16. supra exposita	infra exposita
20.	21. inficiat ibit?	inficias ibit?
23.	2. mitet omnium	nitet omnium.
36.	8. tum rarefaciens	tum arefaciens
43.	18. de critis	de criticis
51.	24. Et dictis	Ex dictis
55.	22. ex perfectioni	ex perfectori
80.	9. absuntum	assumptum
87.	1. interpretantur	interpretatur
87.	16. extrinseco, absq;	extrinseco, hanc verò ab intrinseco, absq;
87.	25. ipsum ipsum	ipsum
96.	23. communicatæ	communicati
97.	8. sunt hæc	sunt hæ
104.	20. ergo foreut	ergo futurum
114.	15. in cuntis	in cunctis
134.	24. aperæ prætum	operæ pretium
134.	35. manifestabis	manifestatis
148.	1. Magiono	Magino
149.	5. Inminaria	luminaria
149.	9. in feriorem	in inferiorem
149.	17. malefico	maleficio
150.	8. reliquemus	relinquemus
150.	29. su permi	supremi
152.	16. prosunt	præsunt
158.	7. aadem	eadem
163.	3. existentes	existentis
186.	10. super Luna	super Lunam.
188.	26. par ex	par est ex
189.	4. Quo patent	Quo patet
190.	12. ☊ in	☋. in
195.	25. inquirenda	inquirendæ
233.	24. methodis	methodi
243.	15. *ex Argolo.*	*ex Magino.*
244.	3. *ex Argolo.*	*ex Magino.*
263.	18. submensionis	submetsionis.

DE

DE DIEBVS DECRETORIIS ET ÆGRORVM DECVBITV EPITOME ASTROSOPHICA

D. PLACIDI DE TITIS PERVSINI OLIVETANI.



ISAGOGE.

DVO *sunt*, ait Princeps Ptolemæus in exordio lib. 1. Apotelesmatum *quibus perueniitur ad astronomicas prædictiones præcipua quidem, & maxima. Vnum quod primum, & loco est, & potestate, quo Solis, & Lunæ, & Stellarum motuum configurationes cum erga se, tum terrarum deprehendimus. Alterum, quo de illarum configurationum naturali propensione consideramus subiectarum rerum mutationes &c.* Ex his duobus, quæ inchoando proponit Ptolemæus, statueram in hoc Opusculo dumtaxat posteriorem, ad rem scilicet Medicam profiteri: etenim quæ ad priorem partem attinent, compræhendunt circulos Spheræ, Ephemeridum calculum, Cæleste Thema, familiaritates, & naturam siderum, atq; plura alia: attamen quoniam opus omninò est nouisse, & sub oculis præsto tenere ex ijs nonnulla, placuit hic apponere ad faciliorem maximè tyronum vsum, ne quid operis complemento deesset, & commodo.

Suppono igitur Lectorem de circulis cęlestibus, & descriptione Thematis, alijsq; à Ptolemæo in primo Apotelesmatum libro traditis, quę hic recensere singula, & omnia, nimis esset longum, satis eruditum inueniri.

FAMILIARITATES.

QVibus Astra ad agendum iunguntur inuicem, sunt numero 9. vel 10. scilicet Coniunctio, Parallelus, Sextilis, Quintilis, Quadratus, Trinus, Sesquiquadratus, Biquintilis,

Oppositio, & potest addi Semiquadratus. Quarum, Sextilis, Quintilis, Trinus, & Biquintilis, benigni sunt: Quadratus, Sesquiquadratus, Oppositio, & Semiquadratus, hostiles: Coniunctio, & Parallelus indifferentes iuxta naturam contrahentium. Quæ omnes, & singulæ familiaritates contingunt, & in Zodiaco, & in Mundo.

Tabella Radiorum in Zodiaco.

habet	⚹	□	△	☍	habet	⚹	□	△	☍
♈ cum	♒ ♊	♑ ♋	♐ ♌	♎	♎ cum	♌ ♐	♋ ♑	♊ ♒	♈
♉ cum	♓ ♋	♒ ♌	♑ ♍	♏	♏ cum	♍ ♑	♌ ♒	♋ ♓	♉
♊ cum	♈ ♌	♓ ♍	♒ ♎	♐	♐ cum	♎ ♒	♍ ♓	♌ ♈	♊
♋ cum	♉ ♍	♈ ♎	♓ ♏	♑	♑ cum	♏ ♓	♎ ♈	♍ ♉	♋
♌ cum	♊ ♎	♉ ♏	♈ ♐	♒	♒ cum	♐ ♈	♏ ♉	♎ ♊	♌
♍ cum	♋ ♏	♊ ♐	♉ ♑	♓	♓ cam	♑ ♉	♐ ♊	♏ ♋	♍

HI Radij proijciuntur inter gradus æquales signorum, idest ab initio ad initiũ, à medio ad medium, à fine ad finem &c.

Quintilis verò maior est sextili quinta parte ipsius sextilis, videlicet gradibus 12. atq; ideo pro Quintili antecedente detrahendi sunt gr. 12. à loco sextilis; vt gr. 14. ♈ habet Quintilem cum gr. 2. ♒: at verò pro Quintili sequente addendi gr. 12. ad Sextilem, vt gr. 14. ♈ habet Quintilem cum gr. 26. ♊. Constat enim Quintilis gradib. 72.

Sesquiquadratus maior est Quadrato dimidia ipsius Quadrati parte, & constat gr. 135.

Bi-

Biquintilis constat geminato Quintili, idest p. 144.

Coniunctio partilis etiam per latum, quæ robustissima est, fit ab Astris habentibus latitudinem, & numero, & nomine eamdem. Oppositio partilis etiam per latum, quæ item validissima, fit ab Astris habentibus latitudinem eamdem numero quidem partium, & minutorum, sed nomine diuerso; itaquod vnius latitudo meridionalis sit, alterius vero septentrionalis. In intermedijs radijs nulla seruatur latitudinis differentia sensibilis: sed vide ad hanc rem quę diximus in Cęlesti Philosophia.

Planetæ, qui permutant domicilium censentur vt coniuncti etiam si sint tres, &c.

Tabella Radiorum in Mundo.

habet	✶	□	△	☍	habet	✶	□	△	☍
Domus I. cum	3 11	4 10	5 9	7	VII. cum	9 5	10 4	11 3	1
II. cum	4 12	5 11	6 10	8	VIII. cum	10 6	11 5	12 4	2
III.cum	5 1	6 12	7 11	9	IX.cum	11 7	12 6	1 5	3
IV. cum	6 2	7 1	8 12	10	X. cum	12 8	1 7	2 6	4
V.cum	7 3	8 2	9 1	11	XI. cum	1 9	2 8	3 7	5
VI.cum	8 4	9 3	10 2	12	XII. cum	2 10	3 9	4 8	5

HI Radij proijciuntur à centro vnius domus ad centrum alterius, & à locis intermedijs ad intermedia loca, sumpta proportione locorum à quantitate domus vtriusq; intuentis: seu ab eorum geminatis temporibus horarijs conditionarijs &c.

Quintilis eſt maior quam Sextilis quinta parte de ipſo Sextili, ſeu minor quam ſit □ quinta parte de ipſo quadrato.

Seſquiquadratus eſt maior quam △ medietate vnius domus; ſiue conſtat Quadrato, & dimidio eiuſdem □.

Biquintilis conſtat duplici Quintili, & maior eſt quam ſit △ parte quinta de ipſo △. Siue minor eſt quam ſit oppoſitio quinta parte de ipſa oppoſitione.

Paralleli in Zodiaco nihil aliud ſunt niſi eadem Declinatio ſecundum partes, & minuta, quæ ſi ſit eiuſdem nominis vel Auſtralis, vel Borealis, dicitur eiuſdem potentiæ, ſi ſit diuerſi nominis, Borealis imperat, Auſtralis obedit.

Paralleli in Mundo nihil aliud ſunt, niſi æqualis proportionalis à cẽtro eiuſdem cardinis diſtantia duorum ſiderum, vnius quidem citra manentis, alterius vltra: quæ ſi ambo ſupra terram inueniantur vel ambo infra, vocatur Parallelus intuens: at vero ſi vnus ſupra, alter infra, hic obedit, ille imperat. Vt exempli gratia, ſi ♄ maneat in centro Domus XI. ♃ vero in centro IX. æqualiter proportionaliter diſtant à Culmine, & ſeſe inuicem intuentur. Si vero ♃ conſiſtat in domo 3. ambo æqualiter proportionaliter diſtant ab Horoſcopo, & ♄ imperat, ♃ vero obedit, &c.

Tabella Orbis actiuitatis omnium ſiderum.

☉	☽ P.12.30.	♂ 7.30.	Fixæ. 1.P.7.30.
P.17.0.	♄ P.10. 0.	♀ 8. 0.	Magnitudinis 2.P.5.30.
	♃ P.12. 0.	☿ 7. 0.	3.P.3.30.

Cæterum in Tabella finium ſupra expoſita, notandum eſt ſicut diximus in Cæleſti Philoſophia, in ſignis, ♉ & ♒ medias partes rationabiliter tribui debere ♄, ſequentes ♃, vltimas ♂; rationes quę id ſuadent reperies ibidem ſatis probabiles: immò in ſigno ♉ hæc permutatio reperitur in quibuſdam codicibus.

Sidus dicitur eleuari ſuper aliud ſidus, quando cum illo habet aliquam familiaritatem, & robuſtiores vires obtinet, ratione

ne maioris propinquitatis ad Cardines, orientalitatis, dignitatis in signo, familiaritatis cum alijs suæ sectæ. &c. Eleuatio autem valde refert, vt dicemus, & Ptolemæus sæpius meminit.

Domorum vires hoc ordine se habent.

DOmus 10.1.7.4.11.9.5.3.2.12.8.6.

In Tabella sequenti vbi loquor de familiaritatibus plateis erga moderatores vitæ, intelligo semper in applicatione, & intra sphæram orbis actiuitatis: nam in separatione post 2. vel 3. gradus nihil vltra valent.

De suffragijs malorum, & bonorum erga vitæ moderatores.

QVando plures Planetæ contrariæ ad inuicem naturæ concurrunt suis familiaritatibus erga vitę moderatores, considerandum est quis eorum præualeat, vt sæpe docet Ptolemæus; & sanè quidem ad prudentiam professoris id maximè spectat; tamen vt hanc partem tyronibus facilius exhibeam, placuit sub Tabella reuocare suffragia familiaritatum, tum etiam roboris virtutis actiuę siderum per numeros, quibus collectis innotescat ad oculum ex qua parte se teneat victoria.

TABELLA SVFFRAGIORVM.

Familiaritates in Zodiaco pro maleficis.

☌. secundum longum, & latum partilis valet	6.
☌. in longum platica in latum partilis	4.
☌. in longum partilis in latum platica	3.
☌. in longum, & latum platica	2.
☍. in longum, & latum partilis	7.
☍. in longum partilis, non per latum	5.
☍. in longum platica, in latum partilis	6.
☍. in longum, & latum platica	3.
□. partilis	4.

□. pla-

□. platicus	3.
Sesquiquadratus	2.
Declinatio partilis, idest Parallelus	5.
Declin. platica	3.
Declinatio cum radio benigno quolibet	5.
Declinatio cum radio hostili	6.

Familiaritates in Mundo pro maleficis.

☌. vel ☍. partilis in circulis positionum	5.
☌. vel ☍. platica	4.
□. partilis	4.
□. platicus	3.
Sesquiquadratus	3.

Et cauendum radios platicos, quo propinquiores, eo robustiores esse: in quibus ideo non potest dari mensura, sed prudentiæ professoris relinquuntur.

Familiaritates mixtæ maleficorum.

Vna in mundo altera in Zodiaco hostiles partiles	4.
Duæ hostiles, quarum vna platica	3.
Duæ platicæ	2.
Tres partiles, licet vna benigna, vel platica	5.
Tres platicæ, licet vna benigna	3.
Quatuor platicæ	4.
Quatuor hostiles, & partiles horrendæ sunt, & ingentes casus efficiunt	6.

Hæc suffragia intelligo addenda ijs, quæ iam ex ipsis singulis familiaritatibus iuxta pręmissa, collecta sunt: nam plures radij non modo agunt vnusquisq; ex se, sed quoniam multiplices, multiplicant etiam ad inuicem suas vires; pluris enim virtus in vnum vnita fortior.

Fixarum maleficarum, vel cum moderatoribus, vel cum maleficis.

Vna primæ magnitudinis	3.
Duæ primæ magnitudinis	6.
In Declinatione p. 15. 16. 17.	4.
In Declinatione p. 24. 25. 26.	4.

In his enim Declinationibus incidunt plures fixæ clariores maleficæ, vt infra dicemus.

Ex viribus à situ, & dignitate.

Angularis in centro	5.
In succedenti	3.
In Carpento plurium dignitatum	5.
In vna dignitate	3.
Habens dignitatem in loco moderatoris	2.
Orientalis à Sole, & Occidentalis à ☉	2.
Cum Capite Draconis	2.

Familiaritates pro beneficis, & tam in Zodiaco, quam in Mundo.

☌. in longum, & latum partilis	6.
☌. in longum platica, in latum partilis	4.
☌. in longum, & latum platica	3.
☌. in longum partilis, in latum platica	3.
☌. platica cum Parallelo Declinationis	5.
Radius benignus partilis	4.
Radius benignus platicus	3.
Parallelus platicus	3.
Parallelus partilis	4.
Parallelus, & Radius benignus partiles	6.
Parallelus, & Radius hostiles partiles	5.
Parallelus, & Radius benignus platici	4.

Paralle-

Parallelus, & Radius hostilis platici	3.

Ex viribus à situ, & dignitate, atq; ex familiaritatibus pluribus mixtis eadem ratio, sicut de maleficis dictum est; sed in bonum.

A luminarium quoq; & Partis Fort. habitu felicia, & infelicia suffragia colliguntur.

Infelicia.

In ☍. □. vel sesquiquadrato Horoscopi	3.
In signo sui detrimenti, & casus	3.
In Horoscopo quando infeliciter se habent	3.
Cum ☋	3.
Cum ☊	2.
In 6. vel 8. domo	3.

Felicia.

In △ sextili, & quintili Horoscopi	3.
In propria dignitate	3.
In Horoscopo quando feliciter afficiuntur	3.

Tandem vires malorum, & bonorum augentur, vel diminuuntur configuratione ad inuicem hoc modo.

Augentur.

Malefica in hostili radio vel ☌ maleficæ	3.
Benefica in benigno vel ☌ beneficæ	3.

Minuuntur.

Malefica in benigno beneficæ	3.
Benefica in maligno maleficæ	3.

Scien-



Scientiam de Diebus Decretorijs pertinere ad Astrosophiæ Professores.

CAP. I.



QVÆCVNQ; sub nostram cognitionem cadunt, ad Professionem illam pertinere, ad quam referuntur eorum causæ, certum est: Quandoquidem nihil aliud esse scientiam, nisi rem per suas causas cognoscere, testatur Philosophus in primo Phys. tex. 1. lib. 1. Poster. tex. 5. atq; alibi. At vero efficientem causam Crisium esse sidera affirmat Galenus initio lib. 3. de Dieb. Decr. vbi hæc habet. *Porrò causas horum ratione nobis indagantibus, duo prima omnium, quæ fiunt primordia esse statuenda videntur: inordinatum videlicet, quod ex hac mundi materie proficiscitur: ordine vero ornatuq; procedens, quod cælestibus originem fert acceptam. Omnia siquidem hæc inferiora ab illis venustatem, & ornamentum suscipiunt &c.*

Notandum primò ex ipsis Galeni verbis, cuiuscunq; naturalis generationis, vel alterationis, quæ contingunt in elementari plaga, duplicem efficientem causam dari, videlicet propinquam elementarem, atque remotam cælestem: neq; enim elementares efficientes à se ipsis solæ absq; concursu vniuersalium causarum agere possunt: sed neq; cælestes vniuersales absq; elementaribus propinquis: *homo enim hominem generat & Sol*, ait Aristoteles in 2. Phys. tex. 26.

Notandum secundò Cælestes causas quoniam vniuersales, esse robustiores, & priores ad mouendum, & agendum, quam sint inferiores propinquæ naturales, naturales inquam, non enim includo causas liberas. Patet hoc ex causarum natura:

 nam

nam vniuersales quatenus superiores nullam habent dependentiam ab inferioribus: at verò inferiores propinquæ, & subijciuntur, & dependent. Testatur Philosophus in 2. de gener. tex. 56. item 1. Meteor. sum. 1. cap. 2. atque alibi: Galenus quoq; initio libri 2. de Dieb. Decr. ait, *Cæterum si recorderis quantopere prouidentia, & ordine superetur caduca hac, atq; inferior natura ab æthereà illa, & cælesti, vtiq; huius nostræ substantiæ motui, non ordinem, sed illius perturbationem tribueris: nec non quicquid in ea pulchrum, ordinatumq; est, & artificiosum, omne id à superna illa natura omninò emanare putabis, &c.*

Ex his infertur quod tàm in Decubitu, quàm in his quæ Decubitum sequuntur, concurrant agendo tum causa cælestis vniuersalis remota, tum elementaris propinqua; sed tamen quod cælestes causæ validius promoueant suos effectus, quam elementares, & propinquæ: Quapropter, vt Crisium prima, & principalis causa sit cælestis, ideoq; sapienter, & optima ratione à Galeno Crisium primariam causam efficientem relatam fuisse ad Sidera.

De causis ergo propinquis Crisium ad Medicam Artem proculdubio spectat agere; at verò de causis vniuersalibus remotis ad solam Astrosophiam pertinere nemo profectò inficias ire potest; id quod à nobis propositum est.

De vtilitate huius scientiæ ad Criticos dies cognoscendos, & decubitum iudicandum.

CAP. II.

QVONIAM Crisis est motus quidam perturbationis in ægrotantibus, vt cum Galeno dicemus: at verò cum plurimæ in ægris varijs de causis accidant huiuscemodi perturbationes, quæ Crisis nomen non accipiunt; contingit quod Medicus non æquè plenè cognoscere, atq; di-

scer-

scernere valeat quæ sit vera Crisis; vnde neque sapienter gubernare, alere, & curare infirmum. Hinc optima ratione dixit Galenus in 1. de Dieb. Decr. *Cæterum non sat est, rarò vidisse diem aliquem indicantem morbos, vt is decretorius dicatur, sed oportet in illo crebrò iudicia fieri &c.* Nam quemadmodum prædicatum vniuersale est falsum, quando nihil sit accipere præter singulare, vt ait Philosophus in Prior. tex. 12. ita similiter perperam affirmabimus illum diem decretorium esse, qui semel tantum, vel rarò iudicauit.

Sequitur Galenus. *Est enim Decretoriorum dierum natura quædam propria, & eximia. Quare cognitio ipsorum ad curationes morborum non leue momentum adfert, ne videlicet ijs timeamus, qui fidis diebus sunt iudicati, aut tenuem victum eis iniungamus: neue perfidis iudicatos diebus, parum accuratè obseruemus &c.* Decretoriorum dierum natura singularis est, & præclara; vnde Galenus ibidem septimum vocat primum decretoriorum dierum, & haud numero, vel ordine, sed dignitate, & potentia, de qua re dicemus infra.

Cæterum qui fide digni censeantur decretorij dies à signis, & notis apparentibus insinuat Galenus diffusè; at verò vt infrà patebit, aliquando non sufficiunt notæ re ipsa apparentes; sed opus est Astrorum consensu; vt exempli gratia, fœtus quilibet vocatur Crisis, quoniam tunc accidit perturbatio magna ob separationem ipsius fœtus, siue dicamus effectus à causa proxima, quæ est mater; attamen octimestris non viuit, quia octauum signum, quod Sol lustrat octauo mense à fatu, nullam ad locum ubi suum configurationem habet; habet verò septimum, nonum, decimum, & vndecimum. Vnde patet quod in omni generatione requiratur consensus Astrorum, vt nimirum quod genitum est, diuturnum fiat: diuturnitas autem vitæ, & durationis à perfectione coctionis, seu dicamus mixtionis emanat. Quapropter quæcunq; perturbatio fiat in ægris etiam cum omnibus signis, nisi contingat in radijs luminarium ad locum

radicis, in quibus videlicet completur coctio ad vitæ diuturnitatem, non est censenda Crisis fide digna, vt infra latius patebit.

Et Galenus quidem suos tractatus de Diebus Decretorijs, & de Crisibus amplificat, & distinguit in 6. libros, in quibus omnibus, & singulis compræhendit semper dependentiam à cœlestibus caussis; præcipuè verò in toto 3. lib. de Dieb. Decr. agit de sideribus, ibiq; ex professo demonstrat eorum virtutem actiuam vniuersalem in hanc inferiorem plagam, tum demum peculiarem, & ad Crises mouendas in singulis ægrotantibus, insuper & dies infestos, vel salubres, etiam in benè valentibus: ex quibus omnibus quantum vtilitatis haurire liceat ad Medicum opus, inde planè cognoscimus, quod vt ipsemet Galenus testatur ex præcognitione Crisium, & inter ipsas quæ sint fide dignæ, atq; dierum salutarium, vel infelicium, prudens Medicus potest aptè regere, alere, & medicamentis afficere ipsum ægrum, reparandæ quamprimum gratia salutis: immò & ipsos benè valentes præmunire ne quæ imminent inuidorũ siderum conspirationes obesse queant; vnde fiet sapientem Astris dominari, quorum nescius, velut imperitus futurarum tempestatum nauta inconsultè se suamq; ratim vndis maris vtique absumendos negligat homicida sui rerumq; suarum factus. Galenus libro 8. de ingenio sanitatis, Medicos Astrologiam ignorantes non veretur speculatoribus, & homicidis nequiores vocare.

Hippocrates de Aere, Aquis, & locis hæc formalia verba loquitur. *Quod si cui hæc sublimiora videantur, is, si ab hac sententia discedat, discet sanè non minimam partem conferre ad rem medicam ipsam Astronomiam, sed omninò plurimam, quum vna cum temporibus, & ventriculi in hominibus mutentur &c.* Item Hippocrates ibidem. *Oportet autem Astrorum exortus considerare, præcipuè Canis, deinde Arcturi, & Pleiadum occasum, morbi enim in his diebus maximè iudicantur, & fiunt.* Et in alio loco Hippocrates

præci-

præcipit cauere à Medico ignorante Astrologiam.

Scotus in 2. senten. dist. 14. quæst. 3. in respons. ad 2. argum. hæc ait. *Conueniens est & necessarium quod bonus Medicus habeat scientiam Astronomiæ, posset enim propinare aliquo tempore medicinam, quæ interficeret, & tamen alio tempore liberaret.*

Cum enim verum omnino sit, vniuersales causas concurrere semper cum causis immediatis ad omnes quascunq; rerum alterationes, & generationes, vt sæpius testatus est Philosophus; quando applicamus actiua passiuis adhuc cum omni peritia, manifestum est, si simili virtute, seu qualitate actiua concurrant ipsæ causæ vniuersales, quod effectus feliciter iuxta votum erumpit ad lucem; si priuatiuè, & indifferenter se gerant, mancus, & imperfectus apparet: si tandem positiuè repugnet, effectus infelix oritur. Ad hanc verò rem infinita propemodum exempla reuocare possem: Vt, non rarò contingit Medicos doctissimos experiri non sine admiratione diuersos, & ferè contrarios effectus ex eodem ad vnguem in specie pharmaco in ęgrotantibus eodem in specie morbo; quos tamen contrarios effectus, non me latet, arguunt à diuersitate temperamenti patientis: sed licet inde quoq; partim egrediantur, attamen potissimè ex diuersitate habitus Cæli defluere certum est. In phlebotomia ex cubitu versante Luna in Geminis audiui, immò & vidi miros infaustos effectus; subsequutos ibidem tumores, liuores, plagas, dolores, etiam totius brachij contractionem. Fertur vt verissimum, aliquos plumbum in aurum aliquando vertisse, quod neutiquam alijs temporibus ijsdem applicatis actiuis. Similiter, & in compluribus alterius generis rebus contingere: immò dico quod inuenietur in omnibus, & singulis etiam in ægris: Quod arcanum est in rerum natura prætiosissimum.

Ex iudicio tandem, & contemplatione constitutionis Cæli momenti decubitus, summam totius rei langentium emanare

perspi-

perſpicuum eſt. Etenim herclè profectò ad expugnandum vallatum viribus hoſtem alius non dabitur vnquam ingreſſus, niſi forte caſu, quam per ſolam explorationem, & notitiam omnium, & ſingularum eius rerum; vnde pateat quo aditu, quo tempore, quibuſq; copijs, & armis expediat aggredi: Morbus autem hoſtis perfidus eſt, qui ſi lateat in abdito, vt perſæpe contingit etiam ſapientiſſimos in medicina viros, robuſtus, & ſecurus ineuitabiles inſidias ad lethum vſq; in infelicem ægrotantem molietur: externa quippe ſigna nonnunquam vel fallunt, vel non apparent, vel ambigua, vel non plena de totali morbo, eiuſq; natura, circumſtantijs, qualitate, ſitu, & progreſſu: quod ſi de his aliquod ſpecimen appareat, nonne valde proficiet cuncta hæc ab alio conteſtante clarius nouiſſe, quo validiori manu inuadentes ſecuri de hoſte victoriam nanciſcamur? ſola tunc euidens, & tuta ſpes extinguendi iam plenè cognitum hoſtem gaudium cordi præſtat, id quod confert ad ſalutem. Quæ demum ab Aſtris cognitio vtpote à priori nimirum per cauſas, ſic proculdubio nobilior eſt, quam ab externis ſignis, quod eſt à poſteriori, vt ſcientia clarior quam praxis.

Criſis nomine quid intelligant Artis Medicæ Profeſſores.

CAP. III.

CRISIS dictio græca, latinè iudicium ſonat, ſiue decretum, vnde in quibus contingit Criſis, dies decretorij vocati ſunt: & inuenitur aſſumpta primò latiſſimè pro omni noua exorta alteratione in quacunq; re, ſiue ſcilicet in Elementis, ſiue in mixtis, ſiue in animantibus, ſiue in hominibus, & ſiue benè, ſiue malè valentibus, ſiue tandem in forenſibus negocijs, de quibus tunc iudicium fieri contingit. Secundò magis propriè ſumitur pro ſuſcitata extemplo alteratione, ſeu dicamus perturbatione in ægro, ex qua vel ad ſalutem,

rem, vel ad extinctionem illicò ipsum conuerti iudicamus, & decernimus.

De Diebus Decretorijs, & de Crisibus agit Galenus diffusè in sex libris, & initio primi hæc habet. *Præcedunt autem ipsas creticas excretiones abscessusq; grauia quædam symptomata, ac non mediocris in ægri corpore perturbatio: Quam sanè turbationem subitam nos appellamus Crisim &c.*

Item paulò infra idem Galenus nomen Crisis accipit pluribus modis. Primò pro subita, & præcipiti in ægrotantis corpore perturbatione, quæ morbi solutionem præcedit. Secundò pro simplici morbi solutione. Tertiò absolutè vocat Crisim perturbationem illam, quæ fit ante exactam solutionem morbi.

Rursus ab effectibus, qui ex his motibus sequuntur denominat Crises Galenus; & vocat malam Crisim, quæ tendit ad perniciem; quæ verò insigne quidem momentum affert, morbum tamen exactè non soluit, vocat deficientem Crisim; quæ verò ad peiora insigniter declinat, imperfectam simul, & malam Crisim nuncupat. Item Galenus ibidem hæc habet. *At verò ipsæ Crises singulis diebus accidunt, sed neque pares numero, neq; æquali fide.* Tandem ex Hippocrate hæc refert. *Ab alijs alios quidem septem mensibus, alios septem Annis finiri; alios verò in binis Annorum hebdomadis, vel in ternis.*

Ex his patet quid intelligant Galenus, & Hippocrates nomine Crisis, & Criticorum dierum; & quot modis accipiant, & quibus verbis definiri possit.

Maginus in exordio suorum Commentariorum super 3. de Dieb. Decret. Galeni refert Crisim à quibusdam definiri, quod sit pugna inter virtutem, & morbum: ab alijs quod sit alteratio humani corporis ex templo propemodum facta vel ad salutem, vel ad mortem: ab alijs tandem quod sit velox & vehemens motus morbi cum infirmus ad sanitatem, vel ad mortem deducitur.

Si placet nos definimus Crisim esse motum in ægro vel notabilis alterationis, vel simul etiam localē humorum nuper suscitatum à proportionali siderum influxu quo æger vel ad salutem, vel ad perniciem ex templo conuertitur: Sic enim includimus etiam causam efficientem vniuersalem ipsius Crisis, cuius non aliam posse esse, quam cælestem testatus est Galenus in exordio lib. 3. de Dieb. Decr. cuius verba supra cap. 1. retulimus.

Idem asserit Galenus initio lib. 2. de Dieb. Decr. immò expressam ibi mentionem habet proportionalis influxus Astrorum, de quo latius infra dicemus.

Cumq; à nobis causa Crisium efficiens ponatur proportionalis Astrorum influxus, proculdubio omnis alius influxus, qui plures contingunt, & non cient Crisim, excluduntur.

Cæterum quod pertinet ad causam efficientem tot existunt sententiæ, quot ferè capita, quarum nonnullas referemus; tandemq; Excell. Galenum sequuti Criticorum dierum efficientem causam petendam esse ab Astris conabimur pro viribus demonstrare; vnde climatericorum quoq; Annorum causa efficiens innotescet.

De causa efficiente Criticorum Dierum variæ sententiæ.

CAP. IV.

PRIMA est Pitagoreorum, qui talem dignitatem, & potentiam tribuunt puris numeris, vt ipsos constituant principia rerum: hanc sententiam quoad Crises sequutus est Hippocrates, deinde Augerius Ferrerius, tametsi cum Cornelio Celso affirmet dies criticos modo sequi ad rationem numericam, aliquando verò ad motum Lunæ, Solis, & reliquorum siderum, atq; fateatur sidera valde pollere circa ægrotantes, vt etiam de siderum decretis ad hanc rem plurima Apotelesmata subinferat.

At verò puros numeros non posse constitui principia rerum, latè contra Pithagoram, & alios ostendit Philosophus in 14. Metaph. cap. 5. per totum. Galenus item lib. 3. de Dieb. Decr. cap. 8. & cap. 11. atq; p. de Dieb. Decr. vbi sic habet. *Primum igitur omnium dierum decretoriorum septimum dicimus, idq; non numero, aut ordine, sed dignitate, & potentia.*

Et sanè quidem purus numerus est pura quantitas discreta: at verò pura quantitas non est actiua, & contrarium non habet: actio autem tantum inter contraria actiua, non potest ergo numerus fieri causa efficiens Criticorum dierum.

Secunda sententia relata à Fracastorio asserit causam efficientem Crisium esse Casum: dicunt enim, *quacunq; agunt, & patiuntur, tunc certa inter se ratione proportioneq; consistere, & certo tempore agere, hac quidem maiori, illa minori, vt accidit: Quare, & circa Crises, quod die septima, aut quartadecima humores moueantur in nobis, nulla certe alia causa est, nisi quod talem accidit esse proportionem naturæ ad humorem, quem tanto tempore concoquit, concoctum expellit, hunc quidem in septima, illum in quartadecima: Quemadmodum, & ignis hoc quidem robur vna die, illud duabus absumit: & Bilis flaua per tertias, atra per quartas mouetur: sicut igitur in his non quærimus rationem dierum, ita nec circa Crises debemus quærere, sed solum cur hoc humoris genus citius, illud tardius moueatur.* Hactenus Fracastorius, qui optima ratione deinde reijcit hanc sententiam: ex qua non contingerent Crises collectis perpetua obseruatione diebus.

Et sanè profectò hæc sententia assignat causam propinquam apud inferiorem materiam, quæ quoniam, vt ait Galenus nullum in se ordinem habet, nullum ordinem, vel methodum seruarent Crises. Præterea quæ agunt, & patiuntur ad inuicem nullam aliam proportionem requirunt, nisi applicationem,

materiæ similitudinem, & dissimilitudinem qualitatum, quæ semper apud ægrotantes inter humores corruptos, & naturam reperiuntur: ita quod non esset ratio cur magis collectis obseruatione diebus, quam alijs erumperent Crises, nisi fortasse ratione quantitatis humorum: nam velox, vel tarda concoctio emanat à maiori, vel minori gradu qualitatis agentis, vel cruditatis patientis, vel quantitatis eiusdem, quæ infinitam varietatem assumere possunt, atq; ideo in omni quolibet die fierent Crises, vt bene ratiocinatus est Fracastorius.

Tertia sententia est quam suam sub infert propriam idem Fracast. qui tamen in eamdem ferè incidit, quam damnauerat: reijciens enim causam vniuersalem cælestem ordinatam, refugit ad humorum naturam, qui tandem verborum copia pulcherrimè rei substantiam confundit dicens: Quoniam vitiato vno humore, contingit vitieri omnes; inde fit quod non apparet Crisis, nisi moueatur etiam melancholia, scilicet per quaterniores.

Sed hanc sententiam Augerius Ferrerius optimis rationibus reijcit, vt non sit opus hic eorum prolixam disputationem recensere: perspicuum autem est, quod ex hac sententia non erit discernere naturam diuersarum febrium, neq; distinguere Crises ab accessionibus. Crises autem fiunt alijs etiam diebus: & in febribus melancholię, quę producit morbos chronicos fiunt per Annum, vt testantur Galenus, & Hippocrates: in quaternionibus verò fiunt Crises febrium omnium reliquorum humorum: ita quod adhuc sequeretur Crises Casu contingere, si ad nullam aliam causam efficientem ordinatam referantur: iam enim Crisis procedet iuxta requisitum tempus coctionis humoris peccantis, qui ratione tum qualitatis, tum quantitatis, tum cruditatis, seu putredinis, tum denique pro naturæ robore, varijs, & diuersis temporibus ad coctionem, & Crisim deducetur.

Alia sententia potest oriri, ex Galeni verbis initij lib. 2. de

Dieb.

Dieb. Decr. qui suum ibi sermonem ita incipit. *Quanta sit prouidentia naturæ, quantus ordo, & ornatus in motionibus suis, animalium generationes, ortus, & incrementa indicant &c.* Et paulò infrà. *Est autem natura in nobis quædam res ordinata: Quæ quidem vbi superarit materiam proportionibus quibusdam certis, ordinatisq; periodis suas motiones perficit &c.* Hanc rationem videtur sequi Ptolemæus lib. 4. cap. finali in distinctione ætatum hominis. Cum ergo natura in nobis seruet methodum, & ordinem perpetuò immutabilem, tum in condendo partes, tum in augendo, tum in emittendo postea nouas & partes, & potentias, vt capillos, dentes, potentiam generatiuam, & plura alia, vt est videre in cunctis viuentium generibus, etiam in plantis, quæ per ordinem folia, flores, fructus, & semen emittunt: consequens est, vt eadem ipsa natura, quæ in nobis cuncta per ordinem operatur, possit instituere etiam dies criticos, & Annos climactericos.

Sed per hanc sententiam sequeretur pari, & simili modo & methodo contingere in omnibus, & singulis hominibus, & in omnibus ægritudinibus: quemadmodum natura in omnibus, & singulis eumdem ordinem seruat in enumeratis effectibus. Rursus quoniam morbi nō ordinantur in nobis à natura: quandoquidem ordinaret quod sibi noxium, & destructiuum, ergo neque dies accessionum, neq; Crisium, quæ tandem ad mortem conducunt.

Cum verò Galenus ordinem huius nostræ naturæ referat ad cælestes causas, prout ibidem subinfert: causæ autem cælestes reijciuntur ab omnibus supra relatis sententijs; sit cum eodem Principe Galeno

De vi Astrorum in hæc inferiora corpora; & maximè de Solis, & Lunæ actione.

CAP. V.

PVLCHRE' admodum, & ingeniosè Galenus vt perueniat ad manifestandas causas Crisium incipit ostendere siderum maximè Solis, & Lunæ virtutem actiuam in inferiora corpora dicens.

Omnium certè superiorum Astrorum potentia fruimur: &c. Et sanè quidem Cæli potentia fruimur; etenim, & commodo, & voluptate, & vsu, & nutritione, & pulchritudine, & luce fruimur, & delectamur. Quid enim referret Telluris Orbis orbatus Astrorum, & Solis, & Lunæ fulgoribus, nisi obscurissimum, & teterrimum carcerem, insuper, & aridum, sterilemq; lapidem? fruimur proculdubio, & delectamur superioribus luminibus, quod ab ipsis pendent dies, noctes, menses, Anni, eorumq; partes, Ver, Æstas, Autumnus, Hyems, quibus reuertuntur satus, olera, flores, fructus, animalia, calor, frigus, imbres, glacies, nix, & vniuersa, quæ ad nostram alendam vitam pertinent: nimirum post Deum, & per Deum Creatorem, & gubernatorem Summum Optimum Maximum. Et quis hæc inficiat ibit?

Potentiam hanc siderum fatetur Aristoteles p. Meteor. verbis illis; *De necessitate iste Mundus continuus est superioribus lationibus, vt omnis ipsius virtus inde gubernetur.*

Auerroes quoq; 2. Cæli ait. *Manifestum est quod generatio cuiuslibet speciei istius Mundi non perficitur, nisi per aggregationem motuum corporum cælestium.* Item 12. Metaph. comm. 18. *Sol, & aliæ Stellæ, quæ sunt principium vitæ cuiuslibet viuentis in natura, & calor Solis, & Stellarum diuisus in aqua, & terra generat animalia.*

Potentiam hanc siderum fatetur D. Dionysius in 4. de Diuin.

nom-


nominib. vbi afferit corpora cæleſtia eſſe cauſam eorum, quæ in hoc mundo fiunt: fatetur D. Auguſtinus lib. 3. de Trinit. dicens Corpora craſſiora, & inferiora per ſuperiora ſubtiliora, & potentiora quodam ordine regi &c. Fatetur D. Thomas in lib. de Cælo, & alibi: ita quod apud ſummos omnes Philoſophiæ, Medicinæ, & Theologiæ Doctores in confeſſo maneat Aſtra influere in elementarem plagam.

Tandem validiſſimæ ſuadent rationes, quarum prima ducitur à cauſa finali propter quam Sol, Luna, & reliqua vniuerſa ſidera creata fuerint, & exiſtant in Vniuerſo: Rurſus quo fine moueantur, & diuerſis motibus, & omninò ſemper ęqualibus, ſeruata inter ſe proportione, ſimilitudine, & ordine adeo exquiſitis, vt mirum afferant. Neq; enim dicere ſatis videtur, vt luceant, & exornent ſpheram Vniuerſi; nam hęc ratio profectò nimis exigua eſt, quæ ſenſibus externis, quibus homo non differt à brutis, apparet: & nihil vltra niſi quid accidentale continet. Deinde Luna, quę ſi, vt noctis tenebras tollat, creata eſt, magis commodaret ſi per totam noctem perpetuò luceret, ideoq; ſi ſemper in loco oppoſito Soli conſiſteret: Cætera verò ſidera pulchriori ordine collocari poſſent, quæ nunc ita diſpoſita inueniuntur, vt ſimilitudinem, & ſpeciem rerum inferiorum referant, quo nimirum ipſis influant. Plures quoq; motus maximè in erraticis Stellis fruſtra multiplicantur, & æqualitatem ſeruant perpetuam, tum demum colorum, & magnitudinum varietas ocioſa.

Secunda ratio ducitur à cauſa efficiente: Nam quatuor Elementa, vel non agerent neq; paterentur ad inuicem, vel tantum iuxta ſuos ad inuicem fines, vbi ſe ſe tangunt: vel certè omnia in confuſum Chaos conuenirent, & quieſcerent: vti communis eſt Philoſophorum ſententia, quod ſi motus & lux Cælorum ceſſarent, rerum quoq; generationes quieſcerent.

Tertia ratio ducitur à qualitatibus viuentium, quas ipſa ſidera introducunt in Elementa; at vero has qualitates non eſſe

Elemen-



Elementa, neq; ab Elementis ortum ducere latè infra demonstrabimus: adeo quod necesse omninò sit fateri Solem, Lunam, & Stellas potendi admodum virtute perpetim agere in sublunarem regionem.

Igitur quicunq; hæc offenderint, non nisi iniuria, & liuore duci planè videbuntur; tum potissimè quod vel falsas Hypoteses in medium produnt, vel non intelligunt quæ ab hac disciplina proponuntur: Vt exempli gratia Fracastorius libro de Dieb. Criticis cap. 4. hæc habet.

In ciuili, inquiunt, mensę tum nautæ, tum agricolæ affirmant per Cæli quartas commotionem maiorem rebus Lunam dare &c. & paulo post. *Falsum nimirum asserant: Primum enim circa maris crementa, & decrementa, quos æstus vocant, constat non maiorem commotionem per quadraturas Lunæ fieri: quando per id tempus vel minimos cerni æstus manifestum est.* Hæc ille, qui si nouisset causam æstus maris non ad vnam tantum Lunam, sed etiam & maximè ad Solem pertinere, qui ambo prævalidis, & humiditate, & calore à quartis mundi orientalibus, quę sunt inter Ortum, & Culmen: & inter Occasum, & Imum, rarefaciunt Maris aquas, itaut extensiuè augeant: atq; in reliquis Occidentalibus restituunt: Quapropter in Lunę dicotomis, quoniam tunc Sol & Luna in contrarijs secundum naturam quartis mundi ponuntur, dissentiunt, itaut quantum vnus auget, tantum alter minuat: Si hęc inquam ille nouisset, forsitan sententiæ suæ consuluisset. Hoc verò sit vnum exemplum eorum, quę ab ęmulis obijciuntur: neq; enim in hoc opusculo conducit vniuersa recensere, & soluere. Sed ad Galenum redeamus, qui in allegato textu hęc subinfert.

Verum qui maximè hunc Orbem exornat, & concinnat, & disponit, est Sol, quippe Veris, Æstatis, Autumni, ac Hyemis author alius nemo extat, nec alius tam manifestò, vel ex terrestri limo animalia generare potest; neq; fruges maturare, neq; ad coitum, & generis procreationem animantia prouocare: &c.

Et

Et sanè quidem præ cunctis Astris Solis virtus in hanc inferiorem plagam maximè mittet omnium, quippe qui solus & quatuor Anni tempora, & quatuor etiam diei varietates, manifesta, & sensibili mutatione reuocat, quippe solus frugum, olerum, & animalium tum ortum, tum interitum in perpetuam Orbitam ciet, & renouat: id quod Peripateticorum Princeps ex professo docet in 2. de gener. Item in 2. Physi. tex. 26. *Homo enim*, ait, *hominem generat, & Sol*. Rursus 5. de Historia animal. cap. 19. Vermium generationem ad Solem refert. Item in p. Meteorol. sum. 4. cap. 2. Mare, Elementa, & plantas crescere, & minui propter Solem, & eius circulationem, & calorem, & frigus, quæ ab eodem fiunt affirmat.

Plinius lib. 2. Naturalis Histor. cap. 2. hoc de Sole extulit præconium. *Eorum* videlicet errantium *medius Sol fertur, amplissima magnitudine, ac potestate, nec temporum modo, terrarumq; sed siderum etiam ipsorum Cœlique rector. Hunc mundi esse totius animum, ac planius mentem, hunc principale naturæ regimen credere decet opera eius æstimantes. Hic lucem rebus ministrat aufertq; tenebras, hic reliqua sidera occultat, hic vices temporum annumq; semper renascentem ex vsu naturæ temperat: hic Cœli tristitiam discutit, atque etiam humani nubila animi serenat, hic suum lumen cæteris quoq; sideribus fœnerat, præclarus, eximius omnia intuens, omnia etiam exaudiens &c.*

Etenim profectò si modus agendi sequitur modum essendi, vt communiter asserunt Philosophi, cum Solis fulgor longè superet lucem reliquorum omnium siderum, intensiuè scilicet, & extensiuè; quandoquidem vniuersa sidera lumen à Sole hauriunt, cumq; lumen sit instrumentalis virtus actiua siderum, vt alias à nobis demonstratum est; sequitur euidentissimè Solis virtutem actiuam eo validius præstare supra virtutem reliquorum, quo lux eius luce reliquorum præstat.

Cæterum Solis opus licet vniuersale sit, atq; concurrat ad

omnes

omnes quarumcunq; rerum generationes, attamen peculiaris & nobilissima eius virtus est tribuere viuentibus vitalem calorem, quem neq; esse ignem, neq; ab igne originem ducere, cum Aristotele ostendemus infra. Sed iam iterum ad Galenum redeamus, qui hæc subiungit.

Magna sanè, & Lunæ opera in hanc rerum substantiam apparent, verum Solis effectibus posteriora: etenim menses hæc perpetuò disponit &c.

Post Solem Luna proculdubio viribus in hæc inferiora pollet; vt enim aliàs diximus luminis Astrorum proprietates duæ primariæ sunt, intensio, & extensio: Sol quidem præstat primò, & potissimè intensione lucis, qua calorem magnum excitat, deinde etiam extensione, quippe magnitudine cunctis Astris erga nos maior apparet, æqualis ferè Lunæ: Luna vero extensione ęqualis ferè Soli, & maior cunctis reliquis videtur; luminis verò intensione longè minor quam Sol. Cum verò ex intensione lucis oriantur qualitates actiuæ, idest calor, & frigus; & ab extensione qualitates passiuæ, quæ sunt humiditas, & siccitas vt alibi à nobis demonstratum est, proculdubio sequitur, à Sole proficisci magnum calorem, sed paruam humiditatem; à Luna vero magnam humiditatem, sed paruum calorem. Cumq; à Sole egrediantur qualitates actiuæ, & à Luna passiuæ, vtiq; fit vt à Sole ortum ducant formæ substantiales corporeę cum suis actiuis proprietatibus; à Luna verò administrari materiam cum suis proprietatibus passiuis: à Sole emanare calorem vitalem, vt diximus, cunctorum viuentium, à Luna humiditatem radicalem.

Vocatur autem Luna Solis vicaria, etenim Sol nullius alterius Astri manum expostulat ad suos producendos effectus, & reuocanda quatuor Anni tempora, qui propria luce fulget; sed reliqua sidera vniuersa, ipsaq; Luna Solis lumine indigent, Quare Galenus Solem vocat Regem magnum, Luna verò Hyparchum, & quasi sub Principem; & sicut Sol diei Princeps dicitur,

dicitur, ita Luna domina noctis, absente scilicet Sole, vicem illius gerens.

Apparet autem euidentissimè in cunctis rerum generibus quanta sit Lunæ in elementarem plagam virtus actiua; vt in rebus agriculturæ omnibus, in cædendo ligna ad ędificia, in fluxu, & refluxu maris, in aeris, & temporum mutationibus, in motibus animalium ad generationem, in cancris, & pluribus alijs animalibus aquatilibus &c.

Aristoteles lib. 4. de partib. animal. cap. 5. ad hanc rem dixit. *Laborant enim testata omnia per frigus, & æstum atq; exuperantiam temporis pati nequeunt; argumento est quod echinis euenit, habent enim id iam inde ab ortu naturæ, & pleniluniis vberius, & non quia per id tempus copiosius pascuntur, vt quidam putant, sed quod noctes tepidiores sint propter lucem pleniorem, calorem enim desiderant, quoniam frigori patent, vtpote quæ sanguine careant. Ex quo fit vt æstate potius vbique vigeant &c.* Item de gener. animal. lib. 4. cap. 10. à medio vsq; ad finem capitis ad Solis, & Lunæ circuitus refert rerum, & animalium generationes, & corruptiones.

Galenus quoq; ibidem recenset euidentissimos effectus Lunæ, & cum differentia, prout ipsa lucis quantitate differt.

Quod verò, & cætera sidera tàm errantia quàm fixa validam virtutem ostendant in elementarem plagam apparet in familiaritatibus Luminarium cum erraticis, in exortu Pleiadum, Caniculæ, Orionis, Arcturi, & cæterarum, de quibus omnibus disserere longum esset nimis, & opus inane.

Satis ergo clarè apparet quam validè sint vires Astrorum, & maximè Solis, & Lunæ in hanc sublunarem plagam: remanet vt perquiramus modum, quo suam hanc virtutem exercent.

Quot, & quibus modis Sol, & Luna agant in hæc inferiora.

CAP. VI.

PERIPATETICORVM communis est sententia non produci effectum aliquem, nisi medijs quatuor primis qualitatibus, tanquam causis instrumentalibus, siue se teneant ex parte causæ efficientis propinquæ, siue in subiecto passibili præcurrant ipsum effectum: inuestigandum igitur quot, & quibus modis Sol, & Luna producunt quatuor primas qualitates.

Galenus de Dieb. Decr. lib. 3. cap. 3. incipit ostendere modum influendi Lunæ in elementa dicens. *Vehementiores itaq; mutationes eueniunt vbi ipsa cum Sole coit: insuper in apparitionibus plenilunij: minores his contingunt dum dimidia apparet: imbecilla dum vtrinq; gibba, & falcata videtur, &c.*

Vbi notandum quod Galenus distinguit vires Lunæ eiusq; agendi modos, & virtutem à quatuor punctis, quæ sunt synodus, oppositio, & vtraq; quadrata cum Sole, à quibus distinguuntur apparitio, incrementum, decrementum &c. Hanc eamdem doctrinam exhibet Ptol. lib. 1. cap. 7. & non solum de Luna, verum etiam de reliquis, quam seruat semper ad rem suam, vt lib. 4. cap. 4. & alibi. Quæ cuncta cum Philosophi doctrina sæpius à nobis allata ex 2. de Ortu, & interitu quam pulchrè congruunt, vbi Philosophus affert causas perpetuę rerum generationis, & corruptionis, quę nimirum sunt accessus, & recessus, prope, & procul esse: vnde augmentum, & decrementum lucis oriuntur, & vnde contrariæ dispositiones, & virtutes agendi, atq; tandem primæ quatuor qualitates; sicut à nobis latè in Cælesti Philosophia demonstratum est. Quapropter Galenus subdit.

Nam validissima eorum, quæ prius erant, mutatio com-

mittitur, dum Luna cum Sole coit, ac eius lumine circumuallatur, quippe quæ prius apparebat, nunc nulli conspicitur. Dein diametra Lunæ statio tanquam distinguens, & in binas partes secans contrarias maximè Lunæ dispositiones, aliarum omnium est validissima, quod verò incrementum, diminutioni maximè sit contraria dispositio ostendere non est opus. Deinde post hunc congressum, & plenilunium, duæ dichotomi, medium vtraq; secans, augmenti tempus prior, diminutionis altera, &c. Nota Lector verba illa, *contrarias Lunæ dispositiones; & augmenti, & decrementi.*

Quæ cuncta sequuntur accessum, & recessum, prope, & procul esse, quæ ponit Aristoteles: adeoquod maior consensus inter Ptolemæum, Galenum, & Aristotelem desiderari minimè possit.

De Sole item par ratio, quemadmodum prius dixerat Galenus, etenim vbi attingit puncta mobilia, & incipit nouum modum illuminandi, & influendi, ibidem incipit producere nouas qualitates, & afferre nouum tempus, vt in principio Arietis Ver, initio Cancri Æstatem, initio Libræ Autumnum, initio Capricorni Hyemem: videlicet accessu, & recessu; prope, & procul manendo; iuxta eorumdem Authorum doctrinam.

Rursus Galenus de Lunæ circuitu assumit, & distinguit tres menses, primum vocat periodicum, secundum synodicum, tertium illuminationis: mensis periodicus est tempus, quo Luna circuit totum Zodiacum, & reuertitur ad idem punctum, vnde discesserat, quod constat diebus 27. & triente ferè: Synodicus est tempus, quo Luna post synodum cum Sole lustrat Zodiacum, donec iterum ad Solem reuertatur, quod fit spatio dierum 29. cum dimio ferè: Mensis illuminationis est tempus, quo Luna nobis lucet, quod sanè variæ quantitatis est ait Galenus, tum propter Lunæ latitudinem, tum propter signorum ascensionem, & descensionem breuem, vel longam, tum propter varietatem momenti præcedentis Synodi: fit enim ob præ-

dictas causas quod Luna nunc citius, nunc serius appareat post nouilunium, vel ante occultetur.

Cum verò à diuersis causis, vel à diuersis eiusdem causæ proprietatibus oriãtur effectus diuersi, fit, vt ab his diuersis Lunæ mensibus diuersi manent effectus, de quibus mox dicemus.

Ex his autem infert Galenus quod Luminaria afferant magnas mutationes in rebus inferioribus tàm simplicibus, quàm mixtis à singulis quartis suorum circuituum; scilicet quod Luna singulis septem diebus ferè, Sol verò singulis tribus mensibus, de quibus infra latius.

Cæterum quoniam generatio cuiuscunq; rei secundum suas qualitates, & temperamentum, ortum sumit à constitutione siderum momenti generationis, in qua Luminaria, & sidera communicant rei genitę suas qualitates: qui verò subsequuntur Astrorum motus, & radij erga prædictæ constitutionis loca siderum, efficiunt alterationem in re genita: sequitur quod constitutio momenti Decubitus, idest generationis morbi, ostendat qualitates, & naturam ipsius morbi; subsequentes verò motus, & configurationes significant alterationem ipsius morbi; vnde oriuntur Dies Critici, item dies leues, graues, lethales, &c. de quibus omnibus infrà suis locis erit sermo. Hinc tandem patet quam ingeniosè optimisq; Philosophiæ principijs Galenus ostendat influxum Solis, & Lunę vniuersalem, in hanc elementarem plagam, vt inde colligat eadem luminaria esse etiam causas Crisium.

De distinctione triplicis Lunaris mensis à Galeno assignata.

CAP. VII.

DIximvs, quod Galenus de Lunari circuitu tres menses assumit spectandos, periodicum, synodicum, & illuminationis: Periodicus amplectitur quatuor Zodiaci

Qua-

Quadrantes; Synodicus Quadrantes Lunæ erga Solem; Menſis illuminationis ſpatium, quo nobis Luna ſplendet. Hanc diſtinctionem deſpiciunt aliqui, vt præ cæteris Augerius Ferrerius, cum tamen omnis varietas in Aſtris obſeruanda ſit, quippe à quibus varij oriuntur effectus, vt latè in noſtra Cæleſti Philoſophia demonſtrauimus. Augerius ſuper Pitagoricos numeros ſuam plantauit ſententiam, neſcius vt pote ſteriliores ipſa arena, nihil ſubſtantiæ, nihilque firmi vel præ ſe, vel ſufferre poſſe: quamuis tandem fateri videatur non puros numeros agere, ſed cæleſtes cauſas per motum, & influxum numero cognitum. Cæterum Galenus erectus aliquando ab hiſce ægrotantibus, & morientibus rebus, ad contemplanda ſempiterna illa lumina, mirum eſt quam feliciter, & cognouerit, & ſcripſerit.

Diſcrimen effectuum, qui hos tres menſes ſequuntur facilè colligi poſſunt ex ijs, quæ in noſtra Cæleſti Philoſophia diximus de varietate motuum ſiderum: Nam Quadrantes Zodiaci reſpiciunt maximè quatuor prima elementa, circuitu verò erga Solem Planetæ producunt qualitates ſuæ propriæ naturæ: circuitu tandem illuminationis eſt tempus, quo nobis maximè patefaciunt ſuas vires.

Quoniam autem Sol producit formam ſubſtantialem materialem, & calorem in viuentibus: Luna verò ſubminiſtrat materiam, & humidum radicale, conſequens eſt, vt quæ contingunt inter eos familiaritates, cauſæ ſint generationis, & corruptionis rerum, ſeu mutationis ſubſtantialis tàm ſimplicium corporum, quàm mixtorum.

At verò cum inter omnes familiaritates Coniunctio, & Oppoſitio fortiores, & robuſtiores Quadraturis exiſtant: hinc planè conſtat quam ſapienter dixerit Galenus initio cap. 3. Vehementiores mutationes contingere in nouilunijs, atque plenilunijs: in nouilunijs enim quando Sol omnes Lunę vires in operando genit, fit, quod potenti modo introducat in paruam »

atq; summè excoctam materiam, nouam generationem: In plenilunijs autem Luna, vtpote plena luminibus, copiosam exhibeat materiam ad nouam generationem; vnde oritur discrimen inter hæc, vt benè notat Maginus, quod in nouilunijs genita abundent calore, & ægeant humiditate, in plenilunijs abundent nimia humiditate; maximè verò tempore conditionario luminari: ideſt in nouilunijs de die, in plenilunijs de nocte: quæ cuncta patent ad oculum experimento in rerum generationibus.

De mense illuminationis ita ratiocinandum eſt: Quoniam enim ſidera non agunt niſi per lumen conſequens eſt, vt quo maiori luce fulgent ſidera, eò validius agant, quo minori, eo debilius; cum verò latent ſub Sole, prorſus viribus deſtituantur, atq; tunc Sol ſuſcipiat agendum pro ipſis. Ex quibus fit, vt in plenilunijs celerrimæ appareant rerum mutationes, in nouilunijs diuturniores, prout docet Galenus lib. 3. de Dieb. Decret. cap. 3. dicens. *Itemq; verè celeres plenilunijs mutationes ſunt; diuturnæ coniunctionales, &c.*

Rurſus quod valentior ſit Luna dum augetur lumine, maximè circa plenitudinem, imbecillior verò ſemper, quo minus lucet, & quo magis diminuitur.

Cæterum quoniam proprium Lunæ eſt ſubminiſtrare humidum radicale viuentibus ex coctum, & aptum ad vitam; præſtat id menſe illuminationis, introducendo ipſum humidum radicale in elementa, dum circuit per quatuor Zodiaci Quartas, quo circuitu excoquit, & rareſacit ipſa Elementa ad fæcunditatem, coctionem, nutritionem, atq; augmentum mixtorum, vt patet exemplo aquatilium, frugum &c. quæ recenſet Galenus cap. 2.

Hinc emergit ad lucem, quæ ſit Criſium cauſa: etenim Criſis cum nihil aliud ſit, niſi actio inter qualitates vitales, & elementa in qua actione qualitates vitales incumbunt ad concoquendas cruditates elementares; Elementa verò nituntur cruditate,

ditate, & putredine ad proprium, & naturalem simplicem statum reddi; planè liquet hanc actionem suscitari ab ipsis luminibus Sole, & Luna circuitibus suæ illuminationis iuxta vniuersam Galeni doctrinam.

Tandem Galenus comparando mensem illuminationis cum periodico, tam modicam obseruat inter eos differentiam, vt in eamdem ferè incidant magnitudinem. Attamen si rem hanc attentius perpendamus, quadrata Lunæ in Zodiaco non coincidunt cum quadratis Lunæ ad Solem; etenim semper Luna peruenit prius ad quadrata periodica, quam perueniat ad quadrata synodica; vt exempli gratia plenilunium idest oppositio Lunæ cum Sole contingit semper gradibus 15. vltra oppositionem Lunæ ad locum præcedentis in Zodiaco Synodi, idest integra die posterior.

Ex quibus deducitur primo posteriorem semper esse qualitatem vitalem, quam suscitat Luna in viuentibus, seu etiam in elementis ad fæcunditatem, à qualitatibus elementorum.

Secundò, quod Luna dum illuminationis mense circumducitur, suo lumine incumbit ad coquenda, & rarefacienda sua vitali humiditate elementa, vt fæcunda reddat ad animalium generationem, nutritionem, & augmentum: in mixtis verò operatur has qualitates vitales, atq; ad actum excitat, vbi inuenit præexistentem potentiam, seu virtutem: at verò vbi inuenit cruditatis, & putredinis copiam robore præstare supra huiusmodi qualitates vitales, potius confert ad soluendum mixtum in elementa, & nutriendam cruditatem, & putredinem, quam ad leuandas, & fouendas qualitates vitales.

Tertiò, deducitur Crises à Luna per hebdomadas suscitari circa humidum radicale, in morbis videlicet acutis; à Sole verò per quartas Zodiaci fieri Crises circa calorem vitalem in morbis chronicis. Ab vtroque tandem suscitari Crises in morbis peracutis à quartis circuitus eorum erga Mundum diurnis secundum vtramque qualitatem vitalem; ideoq; huiusmodi

morbos grauissimos esse, & lethales. Sed hæc latius infra ex dicendis patebunt.

Inferiora omnia per Quartas circuituum Solis, & Lunæ immutari.

CAP. VIII.

PROPONIT hanc rem Galenus capite 5. sumpto exemplo à Sole dicens. *Quemadmodum igitur annum integrum Sol disponit, ita Luna mensem, immutatione per septimanas ei accidente &c.* Sicut Sol motu suo per Zodiacum reuocat in orbem anni tempora; ita & Luna circuitu suo per eumdem disponit mensem, cuius vt patefaciat vires in inferiorem hanc plagam Galenus ingeniosè primò contemplandas proponit mutationes, quas, dum occultatur, atq; cum primum emergit, intromittit in aerem, quæ quidem, ait ipse, rudibus etiam agricolis, & nautis innotescunt. Et ex occultatione quidem aeris qualitas declaratur, quę in toto eius silentij tempore perseuerat, licet nonnunquam totius etiam circuitus futuri Synodici mensis: Quoniam occultationis mora plurimum roboris ostendit Planeta Soli familiaris, quando Sol eo magis præstat, qui quæ sidera suo iubare tegit, eorum sibi iura sumit, vt ideo pro Luna tunc agere sibi vendicet: Cæterum Planeta imperans in nouilunijs qualitates suas per totum Synodicum mensem producit: incipiunt autem oriri maximè in prima Lunæ apparitione, scilicet die tertia, & quarta à nouilunio; cuius rei ratio deducitur ex principijs à nobis expositis in Cælesti Philosophia; nam quoniam Luna præbet materiam generationi rerum, & maximè rarefacit, & humectat, vbi primum emergit, parat, & pandit subiectum passibile ad alterationes, & qualitates admittendas dominantis in Synodo Planetæ. De occultatione, & apparitione Lunæ Ptolemæus lib. 2. cap. 13. nonnulla ponit ad aeris qualitates præsagiendas,

Galenus

Galenus verò vltra quoq; progreditur asserens quod etiam Dicotomæ validas mutationes afferant; vt cunctis etiam imperitis manifestum est: & Ptolemæus lib. 2. cap. 12. proponit obseruari in temporum mutationibus. Quod quidem contingit non vt communiter cēsent Professores ob quadratum cum Sole radium, iam enim radios inter sidera nihil esse, & nihil agere demonstratum est à nobis in Cælesti Philosophia lib. 1. cap. 9. Sed quoniam iuxta Aristotelis doctrinam sæpius à nobis allatam, in his quadraturis Luna permutat modum agendi; in hoc enim consistit tota ratio influendi siderum post absolutam vniuscuiusq; naturam, & in hoc primaria huius artis principia collocantur. Vnde Galenus optima ratione plurimi facit Lunæ in orbem quadrata, quippe in quibus influendi ratio permutatur: quemadmodum constat, & dixerat de Sole, qui nullius alterius ope à locis quadratis in orbem permutat Anni tempora, & non quod ibidem radios quadratos cum quolibet contrahat, sed quod ibi permutat modum influendi. *Perspicuum igitur est*, concludit Galenus, *mensem à Luna immutari per septimanas*: deinde subiungit.

Quod autem aliæ quoq; res vniuersæ inde quoque mutantur, omnibus non perinde constat; sed ijs, qui huiusmodi accuratè obseruauerint, inconfesso est. Ad hæc post seminis conceptionem omnis impregnatio, insuper nihilominus hac & post partum adauctio. Item omne actionis initium magnas alterationes in septimanos circuitus obtinet. Quæ namq; quotidie omnibus, quæ subsistunt, incidunt, horum causam Luna habere obseruata est, maximeq; tetragonis, & diametris stationibus ea immutans &c.

Virtus igitur Lunæ, & ex occultatione, & apparitione, & dicotomis, & plenitudine, non modo circa mutationes aeris manifestatur, verum & in vniuersis rebus, vt in conceptione seminum, in perfectione, ortu, & augmento; amplius in actionibus ipsis cunctis, quæ tamen ab humana libertate remo-

uentur; sed hæc profectò nisi qui animaduertunt, vt ait Galenus, accipiunt.

Cum ergo magna sit Solis, & Lunæ virtus in hanc elementarem plagam, maximè à punctis varietatis influendi tum circuitus Periodici, tum Synodici, manifestum fit hanc eamdem virtutem, & varietatem oriri quoq; à punctis varietatis agendi in circuitu erga mundum diurno; id quod ostendemus in sequenti capite. Hucusq; patet qua ratione luminaria afferant Crises, seu mutationes in cunctis rebus à quadraturis suorum circuituum.

Sed dices hoc non sufficere: nam Crises contingunt non modo à punctis mobilibus, à quibus incipiunt noua anni tempora, & aeris mutationes, verũ à singulis quadraturis à quibuscunq; signis Zodiaci. Ad quod respondemus; sicut signa mobilia ratione æqualis contrarietatis differunt inter se in modo influendi, ita signa fixa inter se, atq; communia; immò & æquales gradus signorum quadrante distantium, æquali contrarietate differunt.

Rursus quoniam Crisis est actio inter qualitates vitales, & elementares, sicut supra diximus. Et luminaria agunt in Elementa circuitu periodico à singulis quartis in singula elementa; itaut in quarta ab Ariete ad Cancrum producant qualitates Aeris, à Cancro ad Libram efficiant qualitates Ignis, & similiter de cæteris: Itemq; Luminaria circuitu illuminationis excoquunt, & rarefaciunt elementa vt diximus ad fæcunditatem generationis, nutritionis, & augmenti mixtorum; proculdubio sequitur, vt efficiant Crisim in singulis quartis, ibiq; contingat decretum vel coctionis, & expulsionis humorum putridorum ad salutem, vel è contra augeatur exorta cruditas, & putredo ad interitum.

Etenim quod pro bona Crisi maximè desideratur, iuxta Galeni placitum 3. de Diebus Decr. atq; 3. de Crisib. est concoctio cruditatis, & putredinis: nam ex mala Crisi augetur cruditas, &

tas, & putredo ad necem: quandoquidem sanitatis signa ex Aristot. 4. meteor. sum. p. cap. 3. censentur quæ concoctionis sunt.

Inter hæc cauendum, quod cum mensis siue periodicus, siue illuminationis constet diebus 27. ferè; hebdomadę non possunt sibi assumere septem dies; igitur finis secundæ hebdomadæ sumi debet pro initio tertiæ; itaquod non iam dies vigesimus primus, neq; vigesimus octauus remanent critici, sed vigesimus, & vigesimus septimus iuxta Galeni, & Hippocrates doctrinam, & obseruationes. Quamuis tarditas, & velocitas motus Lunæ causa sit permutationis diei criticæ. Sed de criticis diebus infra latius agemus.

Circuitum Solis annuum, Lunæ menstruum, atq; vtriusq; diurnum esse inter se omninò similes in agendo.

CAP. IX.

IN primis constat, quod omnes sunt circuitus integri, & perfecti; ergo ratione circulationis, integritatis, & perfectionis similes sunt inter se.

2. Constat quod singulæ partes vnius circuitus ratione proprietatum, quorum potiuntur, similes sunt singulis partibus alterius: in singulis enim partibus vniuscuiusq; horum circuituum inueniuntur passiones, & proprietates illę, quas ex Aristotele enumerauimus, videlicet accessus, & recessus, propè, & procul esse, augmentum, decrementum &c.

3. Quoniam tres lunares menses constituuntur à Galeno, de quibus iam dictum est, diuersi inter se, ratione diuersorum principiorum; attamen ipsi quoq; eamdem omninò seruant ad inuicem similitudinem, atq; cum cæteris etiam circuitibus.

4. Et sanè quidem circuitum diurnum esse similem annuo patet; nam Quadrans qui intercipitur inter ortum, & meridiem similis est Quadranti ab Ariete ad Cancrum. Qui interiacet

Culmen, & Occasum similis est ei, qui inter Cancrum, & Libr. m &c. Sed hoc à nobis latè demonstratum est in nostra Cœlesti Philosophia.

Docet hanc rem Ptolemæus lib. 1. cap. 2. dicens. *Nam & Sol ipse non modo per mutationes statorum in anno temporum, quibus animantibus vita, germinibus fructus quibusq; suis tribuitur &c.* & paulo infra; *verum etiam quotidiano circuitu, cum calefaciens, & humectans, tum rarefaciens, & refrigerans constanti ordine, & modo &c.*

Galenus quoq; in 6. Epidem. confirmat partes diei naturalis, partibus ipsius Anni correspondere; matutinum scilicet tempus assimilari Veri, post meridiem vsque ad Occasum Æstati &c.

Rursus annuum Solis circuitum similem esse mensurno Lunæ, patet ijsdem rationibus; etenim Quadrantes vnius similes sunt quadrantibus alterius secundum scilicet modum influendi vniuscuiusq;

Galenus 3. de Dieb. Decret. cap. 5. ait. *Quemadmodum igitur Annum integrum Sol disponit, ita Luna mensem, immutatione per septimanas ei accidente &c.* mutationes autem, quas efficit Sol retulerat supra cap. 2. dicens. *Verum qui maximè hunc orbem exornat, & concinnat, & disponit est Sol, quippe Veris, Æstatis, Autumni, & Hyemis author alius nemo extat.* Item Galenus ibidem cap. 7. ait. *Tempus enim quod à mensis principio ad vsq; plenilunium est, totius Lunaris circuitus dimidium existens, eamdem rationem habet cum interuallo quod ab Hyeme ad Æstatem vsq; intercedit: quin etiam à plenilunio ad vsq, occultationem tempus, spatio quod ab Æstate ad Hyemem vsq; porrigitur proportione respondet &c.* Ptolemæus quoque lib. 1. cap. 7. *Luna vero ab Oriente vsq; ad primum incrementum cum quasi dimidiata apparet efficiens est humiditatis maximè &c.* De quatuor verò temporibus Anni hæc subdit cap. 9. *Ac Ver quidem humiditatis plurimum habet &c.*

Circui-

Circuitus ergo diurnus, & menstruus similes sunt in agendo circuitui annuo; ergo, & inter se similes sunt; ergo omnes inter se similes sunt, & quadrantes vnius quadrantibus alterius; immò quælibet pars proportionalis vnius similis est parti proportionali alterius, habetq; similem virtutem agendi.

Sunt autem hi circuitus mensuræ temporum, quę fiunt à Sole, & Luna, & non modo tanquam puræ temporis partes, sed potissimè per realem, & positiuum influxum: etenim Sol & Luna afferunt durationem mixtis maximè viuentibus non quidem per numerum motus, qui includitur in definitione temporis quiq; est pura quantitas, sed per realem influxum qualitatum vitalium ad annos, men ses, & dies; itaut hi circuitus non sint pura tempora, neq; purus motus, sed sint positiuæ causæ efficientes, quibus respondet vita animalium ad hæc tempora.

Cum ergo sint similes inter se, accidit, vt singulæ similem eumdemq; in specie effectum producere possint, vt dies effectum annuum, item & menstruum; mensis effectum diurnum, item & annuum; Annuus effectum diurnum item & menstruū. Nam vt demonstrauimus in Cęlesti Philosophia, circuitus Solis diurnus præordinat effectum annuum; item circuitus Lunę menstruus præordinat effectum annuum. At verò quod è contra circuitus annuus, & menstruus præordinent effectus diurnos patet ex victus ratione, quam viuens per annum, & mensem sequutus est; inde enim si victus inordinatus ex qualitate, vel quantitate fuerit in vsum assumptus, præordinantur morbi ad diem vsq; lethalem; etenim morbus non erumpit ad lucem, nisi præexistente praua dispositione, quę in pręcedentibus circuitibus annuo, & menstruo præordinantur.

Immò ægritudines curantur pharmacis, & victus ratione vel per Mensem, vel per Annum, vt ex Hippocrate refert Galenus in 1. de Dieb. Decr. dicens *Ab ijs alios quidem septem mensibus, alios septem annis finiri ait; alios verò in binis annorum hebdomadis, vel in ternis.*

Sunt

Sunt ergo omninò correlatiui tum quo ad similitudinem, tum etiam quo ad effectus hi circuitus; relatiuorum autem eadem est ratio. Ex hoc autem plura sequuntur, de quibus infra dicemus.

Quæ causa cur Pituita quotidianam febrim nutriat, Bilis tertianam, Melancholia quartanam.

CAP. X.

SI causam proximam inquirimus, nullam aliam sanè inueniemus, nisi vel naturam, vel quantitatem ipsorum eorumdem humorum.

Nam Pituita in primis cum humida, & frigida sit, vt asserit Galenus lib. 2. de temperam.; deinde abundet copia quantitatis; diutius fouet calorem extraneum, ipsamq; putredinem; Quapropter idem Galenus lib. 2. de Differ. febr. cap. 4. ait, *Pituitosi autem humoris caliditas, ignem humidum ex accensis lignis viridibus refert &c.* Quis autem non videat quod viride lignum diutius fouet calorem, ipsumq; ignem ex ipsis viridibus lignis genitum diutius quam ex aridis conseruari; tandemq; si calor in illis extinguatur remanere superstitem humiditatem, eamq; faciliorem ad recipiendum denuo Calorem extraneum? Vnde subdit Galenus. *Iccirco & exiguæ euacuationes ab ipso, & accessionis spatium longius producitur: neq; intermissionis tempus est adeo vt in tertiana sincerum, sed humoris putrefacti seruat indicium &c.* Ex hoc autem fit, quod non modo accendatur quotidie calore febrili, sed quod plerumque etiam anteuertat accessionis horam consuetam. Vnde Galenus addit. *Quæ autem ex Pituita febris accenditur in accessionum Declinationibus non expurgatur integrè, neq; parum relinquit eius quod veluti succendi videtur: ac proinde intermissio eius longè deterior est: ac secunda accessionis multo magis festinat insultus.*

2. Hu-

2. Humiditas est maximè passiua, vt sæpius testatus est Philosophus, igitur in regressu quotidie calefacientis Astri, vel si dicamus aeris; hora Decubitus, nihil prohibet, quin Pituita calefiat ad febrim tum potissimè stantibus supradictis.

3. Pituita, ait Galenus in 2. de temper. *Ex cibis, neutiquam ex nostro corpore oritur.* Aristoteles in p. de generat. animal. cap. 18. *Pituitam* vocat *excrementum primi vtilis alimenti:* At verò cum humida, & frigida sit, vt ex eodem Galeno dictum est; euidentissimè sequitur ex hoc duplici capite, quod plurimum cruditatis in se contineat: quæcunq; autem talia, facilè putrescunt, & calefiunt extraneo calore: ergo reuertente quotidie causa calefaciente hora accessionis consueta, nihil prohibet quin Pituita calefiat, & accendatur ad febrim, cum iam conceperit cruditatem. Præterea si Pituita oritur ex alimento, vt asserunt allegati Doctores, alimentum sanè quotidie applicatur, alitur enim quotidie viuens, ratione integri circuitus Astrorum diurni, & nisi ex nouo cibo, si subtrahatur, saltem ex alijs crudis humoribus præexistentibus, & quoniam crudis, & putridis, quotidie præbent materiam nouæ ad febrim accessionis.

Bilis flauę humor, teste Galeno de Arte curatiua cap. 9. omnium, quæ in corpore sunt aridissimus, & calidissimus existit; quæcunq; autem arida non ita facilè putrescunt, vt apparet in ijs, quæ exiccantur: attamen propter comitem calorem, & quia humor quidam est, & ipsę putrescit, sed non ita facilè, vt Pituita, sed serius: ergo non diebus singulis, sed cum intermissione.

Deindè: Quoniam calor præ omnibus qualitatibus magis actiuus est, vt habet Philosophus 2. de gener. tex. 8. & alibi; sequitur, maximè propter comitem siccitatem, vt quicquid ex Bile efferbuerit, totum in accessione expurgetur, & ad puriorem quamdam integritatem restituatur, vt insinuat Galenus lib. 2. de differ. febr. cap. 4. dicens, *Hac enim* videlicet biliosa

liosa tertiana *cum humorem habeat minimo negotio inflammabilem, facilèque quicquid ex eo efferbuerit, totum propter subtilitatem in accessione expurgetur, ad puriorem quamdam integritatem terminari videtur: atq; exiguum quoddam vestigium post paroxysmum, putridæ caliditatis relinquere*. Et patet id in vstibili materia, quæ statim incenditur, & prorsus consumitur.

Item caloris proprium est congregare homogenea, & separare eterrogenea: vnde fit quod separando à Bile partes putridas, ad propriam integritatem ipsam restituat, sicut dixit Galenus.

Bilis atra frigida, & sicca est, ideoq; ægrè alterascit, vt ait Galenus lib. de inæquali temperie: itemq; de differ. febr. lib. 2. cap. 5. *& assimilatur lapidi*, ait ipse, *quicquid enim ex ea accensum fuerit exhauritur, & discutitur, itaut nihil fumidum, aut semicombustum post accessionem relinquat*: vnde sequitur quod diutius quam alij humores transferat accessiones. Constat autem re ipsa, quod ea quæ sicca, & frigida sunt ægrè, & serò alterantur ad putredinem.

Et sanè quidem frigiditas congregat, & homogenea, & eterrogenea, & condensat: siccitas autem difficile terminatur termino alieno; quare valde resistunt hę qualitates, & difficilè recipiunt quod alienum est, & ęgrè alterascunt: Vnde fit quod melancholia difficile concipiat putredinem, & ægrè accendatur ad febrim: cum autem conceperit putredinem, diutius manuteneat, & resistat medicamentis, atq; coctioni: hinc febris quartana chronica euadit.

Etenim ordo resistentiæ in qualitatibus talis est. Siccitas maximè omnium resistit, deinde frigiditas, tertio humiditas, calor minimè omnium resistit. Quod si disponamus hanc resistentiam per tabellam: siccitas resistit exempli gratia vt 4. frigiditas vt 3. humiditas vt 2. calor vt vnum. Vnde sequitur in primis quod proculdubio melancholia resistat magis, quam

cæteri humores; remanet tantum difficultas inter Pituitam, & Bilem flauam.

Notandum autem Bilem flauam produci à Marte, qui ita immoderatè & calefacit, & exiccat, vt ignem producat: Pituitam autem à Venere, quę quidem humectat validissimè, frigefacit verò moderatè, idest non sine aliquo gradu caloris, vt docet Ptol. lib. 1. cap. 4.

Ex his ergo euidentissimè deducitur, quod Pituita minus resistat quam Bilis flaua. Quapropter mirum non est si melancholia expostulat trium dierum calefactionem, Bilis duorum, Pituita vnum tantum, vt scilicet accendãtur ad febrim. Atque propterea quod febris quotidiana facilius omnium curetur, non ita tertiana, quartana tandem difficillimè; etenim resistentia pariter se habet ad putredinem, atq; ad medelam: quandoquidem putredo sequitur naturam rei corruptæ, vtpote in qua, & ex qua putredo genita est.

Hæc quidem censentur causę propinquę diuersitatis temporum in accessionibus è natura, & proprietate humorum desumptæ, Causas autem cælestes remotas cognoscere possumus ex natura, & motu Planetarum, quibus referuntur prædicti humores.

Etenim Pituita, quæ humida, & non nihil frigida est, ad Venerem, vt ad suam connaturalem causam refertur. Bilis flaua, quæ calida, & sicca est ad Martem reuocatur. Bilis atra, quę frigida est, & arida ad Saturnum. Sanguis tandem, qui calidus, & humidus ad Iouem.

Luminaria ergo, quæ sunt temporum vitę latores, suscitant vna cum ipsis qualitatibus vitæ, morbos iuxtam naturam Planetarum, cum quibus iunguntur familiaritate, quiq; morbi authores fiunt, eo quod suis prauis qualitatibus afficiant qualitates vitæ: atq; insuper exprimunt methodum, progressum, & motum morbi iuxta proportionem sui motus cum motu eiusdem authoris morbi; etenim qui dat esse, dat etiam esse quale

quantum &c. ergo ad luminaria, ad quæ pertinet ius vitalium qualitatum, pertinet etiam methodus alterationis earumdem: quare fit, vt in omni decubitu semper, & infallibiliter appareat moderatoris vitæ praua à maleficis affectio, atq; eiusdem affectionis motus, & ordo alterationis.

Ex his autem sequitur quod si Sol inferat morbum Pituitæ scilicet causa Veneris, afferat progressum, seu periodum accessionum iuxta similitudinem sui motus cum motu Veneris, quæ quia mouetur similiter ad motum Solis diurnum, diurnam afferat accessionem.

Si verò inferat morbum flauæ Bili, scilicet causa Martis: Mars per diem non æquat motum Solis diurnum, sed tantum mediat; itaut motum, quem efficit Sol in vno die, Mars perficiat in duobus; vnde oritur febris tertiana, & originem ducit à motu Martis, qui in duobus annis circuit totum Zodiacum: Quare præordinat effectum ad singulos duos dies: etenim, vt supra ostensum est similes circuitus similem habent effectum, atq; se se inuicem præordinant potentia, & virtute. Cæterum cum Mars immoderatè sit calidus affert morbum validum, & laboriosum, licet intermittentem.

Si tandem Sol inferat morbum atræ Bili causa scilicet Saturni: in primis secundum ordinem humorum, & resistentiæ eorumdem, vltimo loco contingit quod moueatur vltimus qui remanet humor, propterea quod frigidus, & siccus serò mouetur, vt dictum est. Secundò dico quod cum atra Bilis difficillimè sit motionis, opus est quod Luna perueniat ad efficaces radios hostiles, qui sunt semiquadratus quadratus, sesquiquadratus oppositio &c. Scilicet per quaterniones: etenim per huiusmodi radios luminaria alterant vniuersam elementarem plagam; vt cum Galeno supra iam probatum est; itaquod nihil inueniatur in elementari plaga, quantumuis ex propria natura resistens, quod ex quaternionibus circuituum tùm Lunæ, tùm Solis alterationem non suscipiat.

Remanet

Remanet inueſtigandum qua de cauſa reuerſiones acceſſionum cõtingant vt plurimum eadem hora: huius ratio ex Aſtrologicis principijs perſpicua eſt. Etenim quoniam cęleſtis conſtitutio decubitus ſeruat perpetuo affinitatem cum natali ratione tranſituum ſiderum, de quibus loquitur Ptolemęus cap. vlt. lib. 4. itaut ſemper maleficę configurentur hoſtiliter actiuo, & paſſiuo modo cum moderatoribus vitæ: palam fit, quod cum ſingulis diebus poſt decubitum, eadem hora reuertatur eadem Aſtrorum affinitas inter decubitum, & natalem, propterea denuo accendatur idem effectus ipſa eadem hora. Quando autem contingit quod reuerſiones acceſſionum permutent horam, cauſa eſt motus Planetarum diurnus, ob quem ipſi Planetę iam non amplius eadem hora configurantur coſmicè cum locis Natalis.

Quis propriè acutus morbus, quis tardus, quis breuis, quis longi temporis dicatur.

CAP XI.

QVONIAM acturi ſumus de criticis momentis, Criſes autem ſequuntur naturam morbi; opus omninò eſt cognoſcere an acutus ſit morbus, an tardus, an breuis, an longus; quo momenta critica in ſingulis diſcernere valeamus. Agit de hac re Galenus lib. 3. de Dieb. Decr. cap. 13. dicens.

Eſt ſiquidem morbus quidam breui tempore durans, gracè Brachychronion vocatus, non tamen omninò acutus &c. breuis ergo morbus, quatenus breuis infert tantum breuitatem temporis; ſiue deinde ſit acutus, ſiue tardus.

Huic contrarius eſt, ſubdit Galenus, *Morbus diuturnus, vel multo tempore durans, gracè Chronios, vel Polychronios dictus &c.* Quare diuturnus morbus, quatenus diuturnus, nihil vltra ſecum defert, niſi tantum longitudinem temporis,

siue de cætero sit acutus, siue tardus.

Nam acuti morbi, sequitur infra Galenus, (*qui vt Archigenes quidem describebat cum velocitate est periculosus; vt Hippocrates autem cum febre continua euenit) accidens necessaria erit, vt celeriter indicetur: Etenim ex motus specie acutus nuncupatur &c.* Ex quo colligitur acutum morbum esse grauem, & periculosum, siue breuis temporis sit, siue aliquandiù producatur, *quamuis re vera*, vt subiungit Galenus, *omnis acutus planè exigui temporis morbus est*: Etenim vehementia morbi, & velocitas motus prauæ qualitatis citissimè ducit morbum ad suum terminum, vt docet Galenus ibidem.

Concludit tandem circa finem capitis: *Omnis ergo acutus planè exigui temporis morbus est, & omnis diuturnus necessariò tardus; non tamen si breuis temporis acutus statim est, neq; si tardus longi temporis.*

Hæc distinctio patet ad oculum in cælestibus causis; nam morborum duę causę potissimum apparent Saturnus, & Mars, Vterque potest agere velociter ex robore virium suarum; tunc autem inferunt morbum acutum, & velocem, ideoque grauem: Vterque etiam potest agere tardè, si leues sint eorum vires; tunc autem inferunt morbum tardi motus, & leuem.

At verò Saturnus quoniam agit frigiditate, & siccitate, quę qualitates segnes sunt ad agendum, vt plurimum diù producit morbum, quem tamen acutum, & periculosum rarò efficit, & vt plurimum serò, vbi ingrauescit morbus ad mortem.

Mars autem quoniam agit calore, qui velox est in agendo, vtpotè maximè actiuus, sed minimè resistitiuus, producit semper morbos breuis temporis, siue sint graues, siue leues.

Ex his constat breues morbos posse contingere acutos, & leues; acutum semper esse breuem, nisi mutet speciem; leues posse esse breuis, & longi temporis: morbos chronicos posse esse leues, atq; graues; vt plurimum tamen leues sunt.

Hic autem notandum est iuxta ea, quæ in nostra Cælesti Philo-

Philosophia diximus lib. 1. cap. 14. Quodcumq; viuens, viuere vel tantum per dies, vel per dies, & menses, vel tandem per dies menses, & annos; vnumquodq; secundum maiorem, vel minorem perfectionem suæ mixtionis: patet hoc in cunctis viuentium generibus; nam perfectissima omnia viuunt per annos, minus perfecta per menses, imperfectissima, vt ex putri genita per solos dies, vel horas.

Patet ex Ptolomæo lib. 3. cap. de hijs, qui non nutriuntur. *Tempus enim* ait ipse, *propriè hoc vnius anni accipitur, potentia verò etiam minus est illo, menses, videlicet, ac dies, & horæ. Sed quæ de illis qui non nutriuntur suscipitur quæstio in eos tantum cadit, qui ob malitia abundantiam minoribus temporibus decedunt &c.* Etenim qui nascuntur sub ingenti maleficorum potestate, minoribus temporibus viuunt, eo quod maleficæ influant prauam mixtionem, cruditatem, & putredinem: vnde Ptolemæus ex maiori maleficorum robore minora semper tempora colligit pro vita.

Innuit hoc idem Aristoteles 2. de gener. tex. 57. dicens. *Ex inæquali tempore corrùptio, & generatio, quæ secundum naturam. Ideo & tempus, & vita vniuscuiusq; numerum habent, & hoc determinantur, omnium enim est ordo, & omne tempus, & vita mensurantur circuitu, sed tamen non eodem omnia, sed hæc quidem minori, hæc autem maiori, his enim annus, his autem maior, alijs autem minor circuitus est mensura.* Sed hanc doctrinam latè prosequuti sumus in Cœlesti Philos. lib. 1. cap. 14.

Ægrotantes igitur, quo grauius degenerant, & decidunt à perfectione mixtionis ratione inualescentis putredinis, viuunt semper per minora tempora; vnde fit quod tunc morbi euadant velociores, grauiores, & peracuti. Etenim homo dum benè valet viuit per annos, dum ægrotat febre acuta viuit per mensem vbi febris fit peracuta viuit per dies, in agonia viuit per horas: Cum vero morbi tunc mutent speciem, Crises quo-

que

que mutant suas periodus, & contingunt in illis circuitibus in quibus homo viuit.

Quemadmodum è contra in peracutis morbis si contingat Crisis bona, quæ profectò ex coctione ad mixtionem perfectiorem fit, vnde sequitur excretio &c. Quoniam tunc mixtio viuentis perficitur, ascendit viuens ad gradum perfectiorum mixtorum, vt nimirum viuat per diuturniora tempora, quam viueret decumbens peracuto morbo.

Professores Artis Medicæ notant hanc distinctionem videlicet: Morbum exactè peracutum terminari in primo quaternione; peracutum simpliciter in 7. acutum exactè in 14. acutum simpliciter in 20. vel 27. postmodum euadit chronicus.

Insurgit hic difficultas si morborum causæ ponuntur ♄ & ♂, siue alius quiuis maleficio imbutus: qua ratione Crises sequuntur motum Luminarium? potius enim sequi deberent motum authoris morbi.

Ex dictis patet responsio. Nam Crises suscitantur, & fiunt à qualitatibus vitalibus, à quibus vitæ munera oriuntur, vnde concoctio excretio &c. à Planetis autem maleficis emanant qualitates putrescentes: diuersæ enim sunt inter se qualitates vitales, & putrescentes: illæ incumbunt ad munera vitæ; hæ vero inferunt morbum. Præterea vita viuentium nihil aliud est nisi qualitates vitales operantes: neq; enim est purum tempus durationis, vt alias demonstrauimus: qualitates autem vitales pendent à luminaribus. Morbus verò est læsio munerum vitalium orta, & producta à qualitatibus putridis, quę suscitantur ab Astris maleficis. Cum ergo Crises ortum habeant à qualitatibus vitalibus, vtiq; à circuitibus luminarium originem habebunt, vt optimè ratiocinatus est Galenus, quem supra retulimus. Cum verò luminaria suscitent ad actum qualitates vitales suis circuitibus, videlicet diurno, menstruo, & annuo, inferunt Crisim iuxta maiorem, vel minorem gradum perfectionis mixti in maiori, vel minori circuitu.

De

De Criticis Momentis.

CAP. XII.

DIXIMUS supra cum Galeno quod res vniuersæ in sublunari plaga inuentæ suscipiunt notabiles alterationes, & mutationes à quartis circuituum Solis, & Lunæ: circuitus autem quod sint tres, diurnus, menstruus, & annuus; tandem quod chronici morbi sequuntur motum annuum Solis, acuti motum Lunæ menstruum, peracuti motum Solis, & Lunę diurnum circa terram; quamuis contingat quod etiam leues morbi durare possint breui, & longo tempore, & propterea sequi motum Solis in anno, Lunæ in mense, & vtriusq; in die.

Ex his autem fit quod in morbis chronicis Crises sequantur motnm Solis in anno per Zodiacum; in morbis acutis motum Lunæ in mense; in morbis peracutis Solis, & Lunę motum per diem circa terram: ita Galenus 2. de Dieb. Decret. dicens. *Morbi tamen ipsi partim quidem Diebus, partim Mensibus, partim Annis sortiuntur suas indicationes &c.* Ita quod in morbis chronicis Crises contingant singulis tribus mensibus, in quibus Sol ponitur in quadrato ad suum locum initij morbi: in morbis autem acutis Crises fiant singulis septem diebus ferè, in quibus ipsa Luna ponitur in locis quadratis ad suum locum initij morbi: in peracutis tandem Crises fiunt singulis sex horis, & quotidie, in quibus luminaria ponuntur in radijs quadratis in mundo ad sua loca initij morbi. Galenus in 3. de Dieb. Decr. ait *Quare in omnibus ferè diebus peracutos morbos iudicari &c.* & paulo infra: *Sed tertius, quartus, quintus, sextus, septimus omnes decernuut. Ac omnes dies post morbi principium in peracutis propter accessionum vehementiam decernere videntur &c.* Decernunt ergo in peracutis morbis singuli dies, ergo etiam quartæ dierum: Etenim sicut supradiximus, quartę vniuscuiusq; circuitus differunt inter se in modo influẽdi:

&hac

& hac ratione innititur Galenus ad ostendendam virtutem actiuam hebdomadarum, vt iam diximus, & Aristotelis auctoritate confirmauimus.

Cęterum in morbis leuibus Crises sequuntur diuturnitatem, vel breuitatem morbi.

Obseruatum verò est à Galeno, & Hippocrate sæpissimè accidere quod morbi chronici soluuntur vbi Sol attingit locum oppositum ad suum locum initij morbi, idest post sex menses, in contraria scilicet temporis qualitate, & maximè adiuuantibus Stellis fixis illustrioribus; morbi verò acuti quartodecimo die, vbi Luna peruenit ad suam oppositionem: & ratio in promptu est; nam locus oppositionis duplici contrarietate modi influendi differt à loco radicali, ideoq; oppositio vt potentissima omnium frequentiores ostendit effectus, quam cæteri radij.

Rursus ijdem obseruarunt sæpe contingere morbos solui in prima quarta: nam quartæ ad inuicem contiguę, vnica contrarietate modi influendi differunt ab inuicem: post oppositionem ergo Quadratus radius pollet viribus supra reliquos radios.

Item Galenus affirmat iudicari aliquando morbos alijs etiam diebus, vt sub initio lib. p. de Dieb. Decr. habet. *At vero ipsæ Crises singulis diebus accidunt, sed neq; pares numero, neq; æquali fide &c.*

Remanet ergo cognoscendum qui nam dies ad Crisim fide digni censendi sint inter omnes: hinc enim Ars Medica non parum commodi, & vtilitatis haurire poterit vt sæpius testatus est Galenus.

Cognita igitur morbi natura, & qualitate, an scilicet leuis, an grauis, & acuta, & an calida, an frigida &c. pro quibus cognoscendis rationem etiam Astrologicam afferemus: Deinde quem propterea circulum sequatur, an videlicet diurnum, an menstruum, an verò annuum: in primis

Dico quod omnes quartæ censendę sunt criticę, idest singula momenta illa, in quibus contingit luminaria poni in Quadra-

turis

turis ab initio: In ipsis enim si contingat Crisis cum omnibus requisitis signis, quæ Galenus recenset lib. 3. de Crisibus, & sunt. *Præcedens indicatio die congruo*, de quo mox dicemus; *Deinde coctiones: Rursus excretio iuxta naturam, & situm morbi &c.* Crisis proculdubio fide digna censenda est.

Si verò contingat, sicut varijs de causis fieri potest, quod Crisis vel anteuertat, vel quod in prima quarta non apparuerit, vel minus digna fide, tunc

Dico secundo quòd consulenda sit quælibet alia Crisis, quæ alio momento contingat cum requisitis, & manifestis signis; an scilicet in illo momento Luminaria peruenerint ad aliquem alium radium erga suum locum initij morbi.

Etenim sæpe contingit quod sequatur perturbatio cum Luminare iungitur alicui vel beneficorum, vel maleficorum, maximè authori morbi, cui omninò fides neganda est; nisi ibidem contingat radius luminaris ad suum initium vt diximus.

Hæc methodus firmissimum habet fundamentum ex intimis Philosophiæ, Astrologiæ, & Medicinæ penetralibus deductum: Etenim vt diximus, & demonstrauimus in Cælesti Philosophia lib. 1. cap. 9. etiam cum Aristotelis auctoritate. Perpetuò quidem, & sine intermissione sidera agunt actione quidem alteratiua in sublunarem plagam, sed non attingunt euidentem notabilem effectum, nisi in proportionalibus distantijs, idest in locis radiorum: igitur quæcumq; perturbatio sequatur in ægris vel bona, vel mala, nisi contingat momentis radiorum Luminarium ad loca initij, nulla omninò fide digna est. In hoc enim consistit tota ratio de Crisi, atq; circa hanc methodum circumaguntur vniuersa, quę afferuntur à Galeno, & Hippocrate de varietate dierum criticorum; atque demum soluuntur per hanc rationem omnes quæcunq; difficultates, quæ de Crisi afferuntur.

Hanc sententiam exponit Galenus ipse initio lib. 2. de Dieb. Decr. vbi sic incipit. *Quanta sit prouidentia naturæ, quantus*

ordo, & ornatus in motionibus suis, animalium generationes, ortus, & incrementa indicant. Siquidem cuiusq; animantis conceptui, suum tempus est statutum: natura scilicet ordinatos semper motus seruante. Post partum etiam animantia singula increscunt, perficiuntur, atq; fatiscunt, idq; præfinitis temporibus. Hucusq; Galenus ostendit naturam, quæ in nobis est, continere in se, & in suis motionibus, & incrementis ordinem omnino mirandum. *Cæterum si recorderis quantopere prouidentia, & ordine superetur caduca hæc, atq; inferior natura, ab æthereâ illa & cælesti, vtiq; huius nostræ substantiæ motui, non ordinem, sed illius perturbationem tribueris: nec non quicquid in ea pulchrum, ordinatumq; est, & artificiosum, omne id à superna illa natura omninò emanare putabis: sicuti inordinatum omne, & erraticum à nostra proficisci materia.* Ordinem ergo, cuius potitur nostra natura ab Astris emanare, & emitti asserit, & quodcumque inordinatum à nostra materia ortum ducere. Vnde ex his Galeni verbis colligitur, nostram naturam medium tenere inter ordinatissimas causas cælestes, & inordinatam materiam inferiorem. Concludit verò Galenus dicens. *Est autem natura in nobis quædam res ordinata. Quæ quidem vbi superarit materiam proportionibus quibusdam certis, ordinatisq; periodis, suas motiones perficit. At quæ aliquando præter rationem eueniunt, ordinemq; confundunt, tunc ipsi obueniunt, quum non planè materiam vicerit, sed impeditur ab ea, prohibeturq; moueri proportionibus suis.* Pulchrè sanè, & ingeniosè Galenus progreditur declarando causas Crisium, & earum motiones, & pugnas: nam causas earum propinquas ponit nostram naturam ordinatam, & materiam inordinatam, inter quas ostendit contingere actionem, & pugnam, & quæ superauerit perficere suas motiones, vt natura proculdubio ad salutem, materia autem ad corruptionem, ad quam ex propria inclinatione labitur. Quoniam verò nostra natura est res ordinata,

nata, & ordinem ſuſcipit à remotis cęleſtibus cauſis, ſubiungit propterea Galenus modum, & rationem decretoriorum dierum his verbis. *Si igitur caleſtes ſubſtantiæ, nec non quæ terrenis animantibus inſunt, certa quadam proportione manifeſtè mouentur, nemini ſanè debet videri mirum, ſi decretorij dies, numerum ordinatum ſortiantur*. Vbi ad rem noſtram notanda ſunt verba illa, *certa quadam proportione manifeſtè mouentur*: quid autem eſt proportio in motu ſiderum, niſi idem, quod efficaces radij? vide cap. 9. lib. p. noſtræ Cæleſtis Philoſ. vbi inuenies euidentiſſimè demonſtratum, radios ſeu familiaritates Aſtrorum nihil aliud eſſe, niſi proportionales influxus per motum acquiſitos. Fiunt ergo Criſes à natura periodo, & ordine, quem influunt cæleſtes cauſæ ſuis familiaritatibus, ſeu radijs: adeo quod ex Galeno nihil vltra ad rem noſtram deſiderari poſſit.

Planè igitur conſtat inter omnia momenta critica, quæ nam fide digna cenſenda ſint. Remanent nonnulla dicenda de momentis criticis, quæ contingunt in vnoquoq; circuitu ſingillatim.

In morbis chronicis, qui motum Solis annuum ſequuntur Criſes apparent ſingulis tribus menſibus ferè; vbi nimirum Sol tangit loca quadrata ad ſuum locum radicis, ita Galenus lib. 3. de Dieb. Decr. cap. 7. Et ego addo: non ſine conſenſu motus etiam Lunæ. Et dictis autem apparet quod contingere poſſint etiam ſingulis 45. diebus ferè ſcilicet per quaterniones; vel etiam vbi Sol efficit radium ſextilem, vel trigonum: eadem quippe ratio militat in omnibus circuitibus.

Notandum verò: Quoniam morbi chronici ſequuntur motum Solis annuum, qui tardior eſt quam ſit motus Lunę in menſe; conſequens eſt vt etiam momentum criticum diutius oſtendatur permanens, quam in acutis: vnde Galenus lib. 2. de Dieb. Decr. dixit. *Porrò quanto vlterius morbi proceſſerint diuturnioreſq; euaſerint, perturbatio, quæ præcipitem immutatio-*

nem praecedit, tanto magis conquiescit: indiciaq; ipsa tunc paulatim venientia duos, aut tres dies in totum occupant. Aliquando tamen morbi chronici iudicantur vno die; vt subiungit Galenus. *Aliquando siquidem morbi diuturni fuerunt iudicati die vnico, idq; per excretionem.*

In morbis exactè acutis, qui Lunę motum per Zodiacum sequuntur, siue mensem illuminationis, Crises contingunt, vt dictum est, potentissimo modo vbi Luna attingit suam oppositionem, idest in 14.. Deinde valido modo in quadratis, idest in 7. 14. 20. & 27.

Hic verò notandum id quod Galenus cum Hippocrate docet lib. 3. de Dieb. Decr. cap. 9. ex professo; Quod ratione motus Lunæ per Zodiacum, siue in mense illuminationis qui vterq; constat diebus 27. à Luna attingitur locus secundæ quadraturæ diebus 20. non autem dieb. 21. atq; locus radicis diebus 27. non 28. Attamen Galenus lib. 2. de Dieb. Decr. refert ex Hippocrate quod aliquando apparuerit Crisis in 21. & sanè quidem mirum non est, contingit enim propter Lunæ motus tarditatem, qua nonnunquam Luna ad finem tertij quadrantis non peruenit nisi diebus 21.

Rursus post loca quadrata accidunt Crises vbi Luna tangit Quaterniones, quorum singuli constant gradibus 45. & sunt dies 4. 11. 17. 24. &c. Quæ loca vt mox dicemus nisi aliquando perfectè decernant, attamen præbent indicia, & signa proximæ futuræ Crisis. Galenus lib. 2. de Dieb. Decr. sub initio hæc habet. *Etenim quartus dies morbos, qui primo die non cessarunt soluit: vndecimus rursus quos septimus non discussit &c.* & paulò infra subiungit. *Verum septimanæ præcipuas sibi vendicant vires; dein Quaterniones.*

Tandem intercalares quoq; dies sæpe sæpius decernunt, vt ibidem statim subdit Galenus dicens. *Nec negligere tamen oportet dies intercalares, tertium puta, quintum, sextum, & nonum,* de quibus rationes, & causæ, quas affert Galenus, diffi-

difficultatem ad rem noſtram exuſcitant. Etenim idem Galenus 3. de Dieb. Decr. Criſes refert etiam ad cauſas inferiores externas, ſeruos, medicum, & ægrum ipſum ſi parum rectè quippiam fecerint, ad aerem quoq; externum ambientem, vel tandem ad ipſam naturam internam, nimis videlicet defatigatam, debilem, & imbecillem.

In quibus caſibus primò vereri poſſumus an huiuſmodi Criſes fide dignæ ſint: & forſitan efficaces erunt, ob radios luminarium, qui eo tempore fiunt: & meminiſſe oportet inter radios connumerare etiam Parallelos Declinationis. Secundo. Dico quod hæ cauſæ referendæ ſunt ad infelicitatem decubitus, maleficæ enim robuſtæ, & ſuper moderatores vitæ eleuatæ peruertunt ordinem coctionis, & pluribus modis, & cauſis, internis videlicet, & externis, quo nimirum decubitum grauiorem reddant ad necem. Tertio aſſerere poſſumus Criſes non erumpere per vim externam, neq; per aliud accidens extrinſecum, ſed ſuis ſtatis à natura interna temporibus: iam enim Galenus 3. de Dieb. Decr. aſſerit Criſes apparere ſingulis diebus. 3. 4. 5. 6. 7. &c. *ac omnes dies poſt morbi principium in peracutis propter acceſſionum vehementiam decernere*. In quo tamen diſtinguendum eſt: nam quilibet morbus habet ſuam ſphæram, vt peracuti ſingulis diebus vſq; ad ſeptimum iudicantur, atq; in eorum ſingulis quartis: acuti in radijs Lunæ per totum Lunæ circuitum in Zodiaco: chronici in radijs Solis per totum Solis eumdem circuitum. Igitur ſi Criſis accidat completa coctione, erit vera, & bona Criſis ad ſalutem; ſi verò ante coctionem erit imperfecta, vel mala Criſis ad necem, vt lib. p. de Dieb. Decr. dixerat Galenus. Quoniam verò omnis concoctio, & maturatio omninò dependet à radijs luminarium; ideo omnis bona Criſis omninò contingit in radijs luminarium. Hinc eſt quod ſextus, & octauus menſis nullum fætum humanum vitæ compotem reddunt: etenim ſignum 6. & 8. Zodiaci nullum radium habent cum radice. Hinc Domus 6. & 8. morbis,

&

& vitæ finibus dicatæ sunt, quod nullo cum Horoscopo vitæ largitore radio copulantur. Quarto dico ex doctrina Galeni 3. de Dieb.Decr. Quod Stellæ fixæ illustriores quoniam validissimam in aere, elementis, & mixtis alterationem afferunt, possunt esse causæ peruersionis temporis Crisium: & ratio est; nam Crises erumpunt ex diuerso modo influendi, siue ex diuersis qualitatibus, quas luminaria suscitant à diuersis quartis, vt dictum est; at verò Stellæ fixæ illustriores ad temporum mutationem plurimum pollent, ergo etiam ad præcurrendum vel postponendum luminarium influxum in temporibus eliciendis, atq; in qualitatibus tàm in simplicibus, quàm in mixtis. Quinto tandem dico quod Luna tertio quoque die transit ab vno ad aliud signum, signa autem differunt sexu, & qualitate, vt alias demonstrauimus; ideoq; mutationem rebus inferunt: in 4. contingit semiquadratus, sed de quaternionibus non est dubium: in 5. accidit sextilis, in 6. quintilis; in 7. quadratus, in 9. trigonus: vnde rectè Galenus lib. 3. de Dieb.Decr. cap.3. post Lunæ dicoromas non despexit Arati obseruationes de gibbis, & falcatis Lunæ apparitionibus, idest de sextili, & trigono. Stantibus ergo radijs in Cælo Luminarium si promoueatur Crisis siue à causa interna, siue externa, appareantq; requisita signa, bona erit Crisis: si verò desint coctiones, & excretiones congruæ, mala &c. Sed iam de peracutis morbis dicamus.

Quoniam peracuti morbi sequuntur motum Solis, & Lunæ circa terram quotidianum, qui vniuersalis dicitur; quandoquidem acuti morbi velocissimè mouentur, & labuntur ad suum terminum, ita vt necesse sit quod habeant celestem causam veloci motu progredientem, sicut est motus vniuersalis; Crises apparent in radijs circa terram cosmicis: Vnde fit quod validissimæ appareant Crises singulis 12. horis, deinde singulis 6. horis, tandem singulis tribus horis: sed potissimè singulis diebus eadem hora decubitus.

Quemadmodum enim Chronici morbi referuntur ad annuũ

Solis

Sòlis circuitum, & acuti ad Lunæ menstruum; ita peracuti ad circuitum cosmicum; vel si morbus non sit adeo acutissimus, refertur ad primam hebdomadam: semper enim est distinguere maiorem, vel minorem putredinem, ex qua maior, vel minor grauitas morbi emanat: quippe alij desinunt in septimo, alij in 4. alij in vno die, alij in 6. horis, iuxta maiorem putredinem, atq; mixtionis imperfectionem, & robur causæ morbi, quo velocius agit.

Sciendum autem quod morbi sæpissimè mutant naturam, tum quo ad qualitates, tum etiam quoad tempora suæ durationis: vt peracuti euadunt exactè acuti, & hi sæpe fiunt chronici; & è contra chronici transeunt in acutos, & acuti in peracutos: vnde fit quod Crises etiam permutent sua momenta.

Secundo sciendum iuxta ea quæ diximus in Cælesti Philosophia, quoniam animantium vita non est pura temporis quantitas, quę est numerus motus, sed est positiua, & continens potentiarum ad actum, & opus eruptio per tempora; atq; per minora tempora imperfectiorum quidem viuentium, per maiora vero perfectiorum: Rursus quoniam perfectiora animantia ita viuunt per maiora tempora, vt viuant etiam per minora tanquam per prima principia, in ordine quidem operis, & nutritionis, non autem perfectionis, nam ex perfectioni principio, & causa, quæ stat in perfectiori mixtione, & superiori gradu qualitatis vitalis, viuunt per diuturniora tempora: at verò in ordine operis, & nutritionis prima principia sunt quotidianæ nutritiones; quandoquidem nisi animal quotidie nutriatur, in septimo extinguitur. Hinc fit quod Crises, quæ quidem à nutritione, & coctione originem ducunt, si pendeant à circuitu Solis annuo, necessario expostulant consensum à motu Lunæ in Zodiaco per dies mensis; & vtriusq; etiam luminaris circa mundum per horas: Item ob eandem rationem quod Crises, quæ pendent à motu Lunæ in Zodiaco expostulant etiam consensum à motu luminarium circa terram, scilicet quoad horas;

Hora-

Horariæ verò Crises, & omnes minorum circuituum, nihil vltra desiderant consensus à cęteris maioribus circuitibus; etenim tunc vita propter mixtionis imperfectionem, cruditatem, & putredinem, non extenditur ad annuos circuitus, vel ad menstruos. Manifestum igitur, quod Crises per horas, nimirum in peracutis sequuntur motum vtriusq; luminaris circa terram tantum; & contingunt in radijs cosmicis ad loca luminarium in mundo decubitus; Crises vero per dies in mense, scilicet in acutis sequuntur motum Lunæ in Zodiaco, atq; etiam motum luminarium circa terram, videlicet quoad horas; Crises vero per Annum scilicet in Chronicis, sequuntur motum Solis in Zodiaco quoad mensem; tum etiam motum Lunæ in Zodiaco, quoad diem; tum denique motum vtriusq; circa mundum quoad horas. Quod verissimum est, & cognitu pulchrum, & notatu dignum, atq; exemplis omnibus, vt patebit infra, confirmatum. Ad hanc rem optimè docuit Galenus in primo de Dieb. Decret. dicens. *Vbi vero diem mortis cognoueris, considerandum est inde, in qua potissimum cuiusq; accessionis parte æger grauetur maximè, grauioraque adsint symptomata. Quippe non ignorandum est, in pessimo accessionis tempore hominem moriturum. Ac proinde non magni negocij fuerit, vti diem, sic etiam Crisis horam prædicere &c. Quod si etiam cuiusq; accessionis pars, exempli gratia, sit circa sextam horam grauissima, non fuerit difficile præsagire in die indicationis, illa eadem hora hominem moriturum &c.*

Tertio sciendum, quoniam motus Lunę per Zodiacum non est æqualis, & vniformis, vnde aliquando Luna peruenit ad suum quadratum initio diei septimæ, aliquando vero octauæ, aliquando medio inter hęc momenta interuallo. Quando Luna peruenit ad verum quadratum hora accessionis, siue id contingat initio diei septimæ, siue octauæ, nulla est difficultas, quoniam siue in 7. siue in 8. ex his proculdubio, ille criticus est, in quo Luna tangit quadratum; in cęteris autem casibus, in quibus

Luna die 7. non attingit quadratum, die vero 8. iam pertranſijt, dies ille ex his duobus accipiendus eſt pro critico, in quo Luna ad horam inuaſionis propinquior eſt ad locum Quadrati; quod ſi vtrinq; æqualiter diſtat, vel ferè, dies ſeptimus accipiendus eſt; quoniam applicatio robuſtior eſt ſeparatione; atq; ſimili modo ratiocinandum eſt de cæteris tum criticis, tum indicatiuis diebus. Huius autem rei cauſa eſt, quod requiritur conſenſus luminarium etiam à locis horarijs circa mundum, ad horam ſcilicet acceſſionis, vt diximus; nam vt teſtatur Galenus lib. 3. de Criſibus. *Oportet Criſim in idem tempus incidere cum acceſſione*. In criticis autem, & indicatiuis horis ex motu luminarium circa mundum, quoniam Cardines, & domus non diſtant iiſdem æqualibus horis inter ſe, ratione diuerſitatis arcuum diurnorum, & nocturnorum; obſeruandi ſunt radij in mundo; prout ratio ipſa planè ſuadet à nobis alibi expoſita.

In recidiuis, puerperis, & violentis caſibus quoad Criſes vide infra cap. 15.

De momentis indicatiuis.

CAP. XIII.

CREBRO legitur apud Galenum, & Hippocratem, atq; ſe inuenire teſtantur re ipſa Medicæ artis profeſſores, quod quartus dies indicet, ac modo quodam prænunciet quæ futura ſint quoad Criſim in ſeptimo: ſimiliter quod ſeptimus dies, vel vndecimus præmonſtrat accidentia, quarti decimi, decimus ſeptimus vigeſimi &c.

Et ſanè quidem videtur in die indicatiuo contingere aliquid Criſis; ſignum enim indicans, eſt ſpecimen rei indicatæ; quapropter ſi prout dictum eſt quartus, vndecimus, & decimus ſeptimus etiam decernunt, eo magis indicare poterunt de futura Criſi.

Huius harmonici conſenſus ratio ex Aſtrologicis principijs

 patet

patet pulcherrima: etenim in radiorum constitutione omnis dimidiatio sequitur naturam totius: Vt Quadratus naturam oppositionis: Quaterniones naturam quadrati. Rursus sextilis sequitur naturam trigoni: Quintilis naturam biquintilis &c. Vniuersa, enim multitudo radiorum siderum, qui nihil aliud sunt, vt alibi demonstrauimus, nisi proportionales influxus, seu distantiæ per motum acquisitæ, procedunt ex diuisione circuli vel in duas partes, vel in tres, vel in quatuor, vel in quinq; In duas partes, emergit oppositio; quæ subdiuisa bifariam efficit Quadratum, quod bifariam sectum efficit Quaterniones: qui omnes eiusdem sunt naturæ, nimirum hostilis. At vero in tres partes, emergit trinus, qui bifariam diuisus efficit sextilem, qui omnes benigni sunt. In quatuor partes, fiunt Quadrata, de quibus iam dictum est. In quinq; partes, oritur Quintilis, qui geminatus efficit Biquintilem eiusdem inter se naturæ videlicet benignæ.

Quorum radiorum ratio mihi sanè non alia probatur, quam hæc, quæ ducitur ex primis principijs à me in Cælesti Philosophia positis. Sectio in duas partes æquales diuidit semper contrarios modos influendi, vnde contrariæ qualitates in gradibus æquales fiunt. Vt euidentissimè apparet in semicirculis, & Quadratis: nam ex diuisione in duas partes ęquales, emergunt æquales gradus contrariarum qualitatum: æquales autem gradus contrariarum qualitatum omnino inter se contrarij sunt. Quod si fiat diuisio in alias proportionales partes inæquales, iam non comprehendunt æquales gradus contrariarum qualitatum; atq; ideo conciliantur ad amicitiam.

Patet hoc idem etiam in musicis, & harmonicis proportionibus: etenim, vt demonstraui in Cælesti Philosophia; Omnis dimidiatio cordæ constituit Diapason, quæ eadem vox est, sed in superiori ordine acutorum constituta. Item ex diuisione corde in tres partes æquales, emergit Diapente. Rursus in 4. partes fit Diatesseron: In sex partes, fit tertia minor: In quinq; fiunt

tertia

tertia maior, & sexta maior. Tandem in octo partes fit sexta minor. Quæ diuisiones, & harmonicæ consonantiæ respondent miro modo cælestibus radijs, vt subtiliter ratiocinatus est Kepplerus Mathematicus celeberrimus.

Cæterum à quantitate continua ad qualitatem intensiuam optima ratione licet similitudinem ducere. Primò. Quoniam sicut quantitas continua, fit extensa per additionem partium ad partes; ita qualitas fit intensa per additionem partium ad partes, idest graduum ad gradus: adeoquod vtraq; in suo genere sit quantitas continua. Secundo. Ipsa sidera influunt gradus qualitatum ex noua parte locali per motum lustrata; atq; de consequenti proportionales, & efficaces gradus qualitatum ex proportionali parte eiusdem motus localis: quo euidentissimè patet inter extensionem quantitatis, & intensionem qualitatis omnimodam intercedere relationem, & similitudinem etiam apud ipsa sidera.

Hic autem notandum est, quod sicut semicirculi compræhendunt totam integram intensionem qualitatum, & partes semicirculorum aliquos tantum gradus ipsius qualitatis: ita radij maiores robustiores sunt minoribus; id quod obseruauit Cardanus, & nuper testatur se inuenire Neguſantius.

Quid ergo mirum si Galenus, & Hippocrates afferant fortiores esse, & frequentiores oppositiones ad Crisim inferendam, inde Quadrata, mox Quaterniones, tandem intercalares dies? Ex hoc autem fit quod radij minores nisi afferant plenam Crisim, saltem exhibeant signa seu exordia quædam futuræ Crisis in maiori radio. Sed de diebus indicatiuis alias etiam rationes attulimus in Cælesti Philosophia.

Ex his autem deducitur methodus sempiternæ veritatis; quod signa & Crises imperfectæ, quæ apparent in minori radio prænuncient Crisim perfectam futuram in maiori radio eiusdem naturæ. Vt semiquadratus indicat Quadratum, idest dies quartus septimum; Sesquiquadratus, & Quadratus indicant opposi-

tionem videlicet ſeptimus, & vndecimus, decimumquartum, vt teſtatur Galenus in p. de Dieb. Decr. Rurſus ſemiſeſtilis indicat ſextilem, ideſt tertius quintum diem: Sextilis indicat trinum ſcilicet dies quintus nonum; atq; ſimiliter in cunctis, & tàm in Menſe, quàm in Anno, & in Die.

Cæterum opus eſt, (quod accura tè notandum,) tàm in Criſibus, quàm in Indice, quod ſigna appareant iùxta naturam permixti Planetæ benefici adiuuantis in Decubitu. Vnde Galenus in p. de Dieb. Decr. loquens de indicatiuis ait. *Nam ſi vrinæ, vel ſputi, vel deiectionis, vel appetentiæ, vel cogitationis, vel ſenſus, mutatio manifeſta in quarto die contigerit, rationi conſonum eſt, vt ſimilis iudicatio conſequatur illam in ſeptimo; bona videlicet, ſi ad ſalutem: mala, ſi ad mortem mutatio illa aſpirauerit.* Etenim ex vrina concoctio vel cruditas per ♃: à ſputis deiectionibus, & appetentia per ♀: à ſenſu, & cogitatione per ☿ &c.

Ex his verò, quę in hoc capite, & in precedentibus diximus planè conſtat falſam eſſe ſententiam eorum, qui aſſerunt indicatiua momenta Criſium quadrati, & oppoſiti eſſe illa, in quibus Luna tangit ſextilem, & trigonum, qui radij non contingunt in quarto, & vndecimo, ſed in quinto, & nono. Verum quoniam, vt diximus omnis dimidiatio indicat accidentia toti, hinc fit diem 4. eſſe indicem ſeptimi, ideſt ſemiquadratum Quadrati: at vero ſeptimum, & vndecimum, ideſt Quadratum, & ſeſquiquadratum eſſe indicem quartidecimi: diem 3. eſſe indicem quinti, ideſt ſemiſextilem ſextilis; & quintum noni, ideſt ſextilem trigoni &c.

De Annis Climactericis.

CAP. XIV.


BSERVATVM perpetuo re ipſa fertur, & inuenitur non modo à noſtri temporis recentioribus, ſed etiam olim ab antiquis, Annos illos, qui vel numero ſeptenario,

nario, vel nouenario componuntur, ferre secum vt plurimum aliquod discrimen, vel circa valetudinem, vel pacificum rerum statum; vnde hos Annos Climactericos vocauerunt, seu discriminosos.

De ratione horum annorum plures doctissimi viri loquuti sunt, quorum alij ad numerorum dignitatem cum Pytagoricis referunt virtutem; alij, quod cum Erraticæ Stellæ compleant septenarium numerum, si tribuamus singulis singulos annos, ius dominij, redeat primus singulis septem annis nouos eliciens effectus. Verum hæ rationes nullam præseferunt similitudinem veritatis.

Ratio autem non alia, quam quæ de Criticis diebus à nobis supra allata est, & deducta ex Galeni doctrina; cum hoc tamen discrimine, quod Critici dies habent causam efficientem cælestem, quæ actu elicit Crisim; Anni verò Climacterici habent causam efficientem cælestem, quę tantum pręordinat ipsos virtute, & potentia. Quapropter Anni Climacterici præexistunt virtute, & potentia, & præordinantur à Luna singulis septem, & nouem quoq; diebus post natalem: eliciuntur autem ad actum per nouilunia super loca obnoxia iuxta doctrinam Ptolemæi cap. fin. lib. 4.

Vt autem hæc intelligantur sciendum est, sicut docuimus in Cælesti Philosophia: Post diem natalis à Sole instituí motum quemdam, quem Professores Directionis vocant, quo motu sidera applicant ad inuicem, & iunguntur ad nouos producendos effectus suo quoq; tempore, secundum quantitatem motus; motus enim mensurat tempus; quoniam tempus est numerus, & mensura motus.

Et sanè profecto ratio, & veritas huius motus Directionis à nemine vnquam professorum demonstrata est in natura; sed tantum ex obseruatione, & exemplis apparuit hic motus, & per traditionem ad manus posteritatis sine vlla rationis luce transmissus est. Nos verò in Cælesti Philosophia euidentem

rationem

rationem optimeq; in natura fundatam aperuimus, quam hic recensere, & nimis longum esset, & superuacaneum.

Supponamus igitur tanquam certum, quod singulis diebus post natalem ordinatur motus Directionis, qui dies tanquam causæ per ordinem ad singulos annos vitæ tanquam ad effectus referuntur: etenim quæcunque accidunt diebus illis Astrorum familiaritates eliciunt suos effectus singulis annis per ordinem, itaquod primus dies referat primum annum, secundus secundum, tertius tertium, & sic deinceps.

His igitur stantibus, sequitur quod Luna diebus post natalem efficiat easdem familiaritates, quę Crisium causę sunt, Quoniam verò Directionis motus præordinat vitam cum suis effectibus à singulis diebus ad singulos annos, euidentissimè patet, quod climacterici, seu dicamus critici fiunt anni, qui numero septenario, vel nouenario componuntur: nam Luna singulis ferè septem diebus post natalem absoluit quartam partem circuli, idest Quadratum: singulis autem ferè nouem diebus tertiam partem, idest trinum: qui radij validiores cæteris omnibus censentur etiam ad Crisim inferendam: nam oppositio constat duplici quadrato &c.

Contingit autem annos climactericos magis vel minus graues apparere iuxta tum primariam Directionem moderatoris vitæ, tum etiam pro familiaritate Lunæ cum cæteris Planetis illis diebus: etenim si vitæ moderator tunc peruenerit ad aliquam hostilem familiaritatem maleficorum, atq; tunc Luna similiter ad Planetas maleficos appulerit, grauissimus continget annus ille climactericus; si verò vterq; potius ad beneficos peruenerint, nihil timendum: medij qui plures inter hos contingere possunt casus prudenti ratione iudicandi sunt.

Ex quibus omnibus planè constat quod nam sit principium, seu causa annorum climactericorum; & qua ratione Hippocrates, vt refert Galenus in p. de Dieb. Decr. affirmauerit morbos aliquando iudicari in vna, vel duabus, vel tribus annorum

hebdomadis: eadem enim omninò ratio est de criticis diebus, atq; de annis climactericis.

Amplius addo hinc deduci rationem quare Ptolemæus lib.3. cap.14. affirmauerit Directionem moderatoris vitę ad proprium quadratum lethalem esse; etenim vt Galenus asseruerat in 3. de Dieb. Decr. inferiora omnia alterantur, & immutantur Solis, & Lunæ motu per quartas suorum circuituum: ita quod in hoc capite nihil vltra desiderari, vel addi possit.

De statuendo momento Decubitus.

CAP. XV.

NON leuis persæpe difficultas in hoc solet contingere, maximè in morbis tardi motus, & qui diuturni euadunt; quorum initium vt plurimum latet insensibile, sicut Galenus ipse fatetur in p. de Dieb. Decr. dicens. *Cæterum cum exactum morbi principium statuere semper sit laboriosum*, *tunc* subiungit Galenus, *neglectis obscuris principijs*, *contemplabimur quæ clarè apparent. Decretorios dies in manifestissimis experiamur: initium morbi tempus illud in vniuersum existimantes*, *cum ægri manifestè incipientes febrire decubuerint: id quod cenatis*, *& exercitatis*, *& lotis facillimè*, *subitoq; plerisq; contingit. In quem sanè modum Hippocrates indicationes ipsas à primo die*, *quo febricitauit homo*, *non ab illo*, *quo capite doluit*, *vel einsmodi aliud quippiam est passus*, *accuratè explorauit: quod in principijs huiusmodi*, *experientia dierum decretoriorum sit Medicis sita*, hæc Galenus.

Neq; nos conturbet quorumdam Astrologiæ professorum scrupulosa sententia, quod nimirum opus sit omninò cognoscere primum morbi exordium, vt ad eius momentum describatur cælestis constitutio, & ad ipsum referantur momenta decretoria. Etenim si morbus leui tardoq; motu, & alteratione

exordiatur curſum ſuum, quemadmodum principium inſenſibile eſt, ita prorſus minimæ qualitatis, alterationis, & motus, ipſe morbus pendendus eſt.

Præterea leuis effectus, leuem habet cauſam tum propinquam, tum remotam; quare exordia euidentis, & notabilis effectus ſumenda ſunt in contemplationem; vt affirmat Galenus cum Hippocrate: immò non tantum quoad horam, ſed etiam quoad diem, ita quod initium illud euidens pro momento veri decubitus, in quo conſtruenda ſit cęleſtis figura, tandemque ad quod referantur omnia decretoria momenta, ſit accipiendum.

In diebus ipſis decretorijs leuia principia alterationum, & motuum referuntur ad leuia decubitus, manifeſta ad manifeſta; nam ipſæ acceſſiones, quę plura habent tempora, vt docet Galenus in p. & 3. de Criſibus imitantur inuicem, atq; etiam ipſa tempora, vt exordia imitantur exordium, augmentationes augmentum, ſtatus ſtatum, &c.

Et ſanè quidem de leuibus, & occultis initijs acceſſionum, & Criſium nihil ad nos, ergo neq; de leui & occulto initio decubitus: manifeſtæ enim alterationes in Criſibus contemplandæ ſunt, ergo etiam quod manifeſtum eſt initium morbi.

Præterea, vt dictum eſt, leue initium alterationis, leuem cauſę in agendo virtutem arguit; graue incrementum robuſtas vires; igitur conſtitutio cæleſtis tunc reſpicienda eſt, quando incipit oſtendere validas vires, vt nimirum inde cognoſcamus morbi qualitates, naturam, tempus durationis, grauitatem &c. validæ autem cæleſtium cauſarum vires non in dolore capitis, vt ait Galenus cum Hippocrate per huiuſmodi dolorem non iudicari morbum, ſed in euidenti inuaſione febris oſtenduntur, & in noua euidenti acceſſione iudicari: Etenim Criſis ait Galenus in 3. de Criſibus, in idem coire tempus debet cum acceſſione.

In recidiuis, & in puerperijs diſputant Profeſſores Medici à

quo

quo nam momento enumerandi sint dies critici an ab initio morbi, an à recidiua; & an à momento partus, an ab initio subortę febris, quibus addi possunt violenti casus quicunq; : atque propterea quod nam censeatur verum momentum decubitus: ad quod paucis respondeo, quod ratio suadet à primo initio, dummodo non intercedat longum interuallum temporis cum plena salute; atq; propriè non recidiua, sed nouus morbus diuersæ qualitatis à priori euidenter appareat: Deinde ita exemplaria declarant: Tandem censeo, siue longum interuallum, siue breue interponatur obseruandum semper esse vtrumq; decubitum; omnis enim nouus euidens effectus, etiam si ab alio anteriori principio dependeat habet præsentem causam Cælestem, quæ morbi naturam manifestat: immò amplius dico cuiuscunq; grauioris symptomatis momentanea Cæli constitutio declarat eius naturam; id quod Medicam artem miro modo iuuare potest, ad cognoscendas videlicet eius causas, qualitates, naturam, & partes læsas: omnis enim præsentaneus effectus, habet præsentaneam causam agentem.

Dies salutares, aut infesti tàm benè, quàm ægrè valentibus quibus principijs astronomicis prænunciandi.

CAP. XVI.

PROPONIT ex professo Galenus hoc caput in 3. de Dieb. Decr. cap. 6. incipiens. *Porrò illud denuò repetendum est, quod nos quoq; obseruantes verissimum semper esse comperimus, ab Ægyptijs Astronomis inuentum, Lunam non modo ægris, sed etiam sanis dies quales tandem futuri sint, posse prænunciare.*

In primis ex hoc capite constat Galenum non modo peritissimum extitisse rerum astronomicarum, hoc quod etiam liquet ex omnibus eius operibus de Dieb. Decr. & de Crisib. sed maximè quod præceptis huius artis vteretur. *Quod nos quoq;*

ait ipse, *obseruantes verissimum semper esse comperimus.* Pace dixerim eorum Medicæ Professionis, qui hęc vel negligunt, vel spernunt, vel damnare minimè verentur.

Igitur ex motu Lunę propositum Galenus censet inuestigandum; cum tamen re vera ex motu etiam Solis, & aliorum, vt infra patebit, inquiri debeat: quare subiungit ipse.

Si enim ad Planetas temperatos steterit, faustos ac bonos dies producere; si ad intemperatos graues molestosq; Planetę temperati sunt Iuppiter, & Venus, intemperati verò Saturnus, & Mars; Mercurius naturam eorum induit cum quibus familiaritate iungitur, maximè hostili cum maleficis, benigna cum beneficis.

Vbi notandum quod loca Planetarum bonorum, & malorum in hoc loco Galenus non intelligit quæ possident Planetæ quotidiano motu, sed quæ in natali, sicut in sequentibus se se declarat exemplo, dicens.

Fingamus enim quodam nascente salutares Planetas in Ariete, malignos in Tauro esse: is homo nimirum, cum Luna in Ariete Cancro, Libra, & Capricorno fuerit, pulchrè deget; cum verò Taurum ipsum, vel tetragonum aliquod, vel diametrum signum occupat, malè tunc, & molestè vitam transiget. Congruunt hæc Galeni verba exquisitè cum Ptolemæi doctrina capitis finalis lib. 4. vbi agens de temporum diuisione pręcipit obseruandos esse transitus Planetarum super loca natalis ad cognoscenda effectuum tempora.

Sciendum autem est quod huiusmodi transitus sunt in duplici differentia: quidam enim sunt actiui, quidam passiui: passiui sunt vbi Luminaria quotidiano motu transeunt super loca Planetarum actiuorum radicis: actiui verò sunt quando actiui Planetæ motu quotidiano transeunt super loca moderatorum radicis. Vnde constat Galenum loquutum esse non de actiuis transitibus, sed de passiuis, & solummodo Lunæ. Attamen actiuos quoq; transitus pari virtute præstare, & ratio suadet, & auctori-

tas

tas Ptolemæi, qui loco citato hæc habet.

Quibus verò temporibus magis elucescet decreti vis, significatur ab annuorum, & menstruorum signorum cum obnoxijs locis configuratione, & secundum ingressus astrorum, & Solis Lunaque radiationes ad annua, & menstrua signa. Nam si conuenienter se habent cum locis affectis ab initio in genitura accepto, & secundum inambulationes conuenienter illis configurantur pro re proposita bonum. Si inconuenienter, & præter conditionem, opposita quidem, aut quadrangula figura in transitibus malorum authores sunt, aliter verò configurata non ita.

Quæ vt intelligantur. Notandum quod tum in natali, tum in Decubitu, tum etiam quotidiano circuitu ad quódcumq; momentum pro qualibet re naturali, in Cælo semper distinguendum est id quod subiecti passibilis vices gerit ab ijs, quę vtpote qualitatibus actiuis prædita, efficientis causæ munus exercent. Quæ subiectum passibile referunt, sunt Sol, Luna, Horoscopus, Culmen, & Pars Fortunæ: quæ verò efficientem causam, sunt omnia sidera qualitatibus actiuis prædita: vt Saturnus, Iuppiter, Mars, Venus, Mercurius, & sidera maximè ex illustrioribus fixa, tandem etiam ipsa luminaria, si Planetarum actiuorum qualitates induant.

Secundo notandum, à quinq; prædictis locis Sole, Luna, Horoscopo, Culmine, & Parte Fortunæ significari substantiam, à reliquis verò Planetis qualitates, humores, & potentias. Quando igitur Luminaria transeunt super loca reliquorum planetarum natalis, videlicet passiuo modo, conuertunt alimentum in bonam vel malam substantiam iuxta naturam ipsius planetę: Quando verò Planetę transeunt super loca Luminarium, & vitæ moderatorum afficiunt ipsam substantiam bonis, vel prauis qualitatibus: Vnde patet ratio quod etiam transitus actiui efficaces sunt; & quod non modo sit obseruandum quando Luminaria transeunt super loca bonorum, & malorum natalis,

sed etiam quando reliqui Planetę boni, vel mali transeunt super loca Solis, Lunæ, Horoscopi, Culminis, & Partis Fortunæ natalis, iuxta scilicet rem propositam vnicuiq; subiectam, de quibus loquitur Ptol. cap. finali lib. 4. & alibi. Ex his verò deducuntur pulcherrima ad electiones de quibus agemus infra.

Galenus autem sequitur dicens. *Atq; iam morborum initia huic cum Luna in Tauro, Leone, Scorpio, & Aquario fuerint pessima: sine periculo autem, & salutaria sunt cum Arietem, Cancrum, Libram, & Capricornum Luna permeat &c.*

Grauis proculdubio euadit Decubitus si tunc Luna inueniatur in familiaritate hostili maleficorum natalis: sed nos addimus si non modo Luna, verum etiam Sol, & Horoscopus similiter ponantur: qui omnes sunt transitus passiui: Si verò etiam per transitum actiuum malefici obsideant in Decubitu loca moderatorum vitæ natalis, augeri morbum validissimè; atq; fieri omnes in multiplicatos contestes grauitatis morbi: Etenim vt alibi diximus, & demonstrauimus, Decubitus est semper similis causis morbi, & quæ in natali apparent, & quæ per Directionem offendunt. E contra si transitus tam actiui, quam passiui fiunt à beneficis prosunt, & leuant ægrum ad salutem.

Rursus Galenus. *Ad hac alterationes magnas, quas in tetragonis, & diametris per septimanas fieri diximus, in lethalibus quidem morbis lethales & ipsas, in salubribus bonas euenire necesse est. Quamobrem Hippocrates etiam damnat maximè mutationes, quæ in diebus decretorijs ad peiora declinant; quippe quod lethalis morbi symptoma sit, quemadmodum, vt arbitror benigni contrarium.* Cum prius de Decubitu dixisset Galenus, nunc vna cum Hippocrate loquitur de Crisibus, quæ ob eamdem rationem per transitum scilicet bonorum, vel malorum leuiores, vel grauiores contingunt vtiq; ad salutem, vel ad interitum.

Tandem siue post decubitum in ægris, siue in benè valen-

tibus per totam vitam, transitus tàm actiui, quàm passiui, prænunciant iuxta naturam planetarum, & iuxta genus moderatorum, videlicet circa res sibi subiectas, tempora felicia, siue infelicia.

Quæ causæ cælestes generales diuersorum morborum in Anni circuitu exorientium.

CAP. XVII.

CVM de causis, & ordine criticorum dierum, & accessionum plurima è sideribus deducta, & dicta sint: nunc ad cognoscendam naturam, qualitates, & grauitatem, vel leuitatem morbi accedimus: Quarum causæ cælestes, quamuis de se semper vniuersales, attamen inter ipsas, quædam generales, quædam particulares dicuntur.

Generales causæ morborum sunt primò quatuor Anni tempora, eorum scilicet qualitates: deinde quatuor tempora mensis lunaris: rursus quæ vigent qualitates iuxta naturam dominantis Planetæ in singulis nouilunijs, & plenilunijs: item quatuor diei Quadrantes, fixæ quoq; Stellæ illustriores: tandem Eclipses, & Cometæ à quibus lues, aliaq; morborum vniuersalium genera emanant.

Particulares verò causæ morborum in Cælo sunt respectus, Astrorum, Eclipsium, & Cometarum ad singula; de quibus agemus postea.

Cum igitur quatuor Anni tempora peculiari qualitatum natura potiantur, quibus inferiores res vniuersali quodam influxu afficiunt; hinc proculdubio fit, quod ex diuersis Anni temporibus, & qualitatis aeris natura, ipsa quoq; humana corpora easdem qualitates hauriant; quibus magis ad vnum genus morbi delabitur, quam ad aliud, eoq; minus ad secundum naturam contrarium: Hippocrates Aph. 12. sect. 1. *Accessiones, & constitutiones morbi*, ait, *indicabunt, & anni tempora, &c.*

Vnde

Vnde ſequitur quod iuxta vniuſcuiuſq; naturam, temperamentum, & ætatem, alij hominum ægrotent vno tempore, alij alio, prout paſſim affirmat Galenus.

At verò quatuor Anni temporum natura ſic ſe habet. Ver humidum eſt, & calidum, quare ſanguineum. Æſtas calida ſicca, & cholerica. Autumnus ſiccus frigidus, & melancholicus. Hyems frigida, humida, & phlegmatica. Ergo ſanguinei in Vere, cholerici Æſtate, melancholici Autumno, phlegmatici Hyeme vt plurimum ęgrotant, & morbi his temporibus ad huiuſmodi naturam accedunt, ita Galenus vbi de Differ. febr. lib. 2. cap. 1. diffusè.

Quoniam verò hæc quatuor Anni tempora, quæ excitantur à Sole, inueniuntur etiam in menſe illuminationis Lunæ; nam Luna à prima apparitione frigiditatem, & humiditatem efficit vſq; ad primam Dicotomam; inde ad Plenilunium humiditatem, & calorem; à Plenilunio ad ſecundam Dicotomam calorem, & ſiccitatem: in reliquo vltimo quadrante ſiccitatem, & frigiditatem, ſequitur quod ſicut Anni Quadrantes excitant febres iuxta ſuam vniuſcuiuſq; naturam; ita memorati Lunę Quadrantes ſimili modo, & ob eamdem rationem promoueant febres quaslibet iuxta ſuam naturam. Verum tamen eſt vt docet Galenus in 3. de Dieb. Decret. cap. 2. *quod Luna ſecundum vires agendi Sole inferior eſt*.

Quadrántes quoq; diei ſimiles eſſe Quadrantibus Anni iam ſupra demonſtratum reperitur.

Imperantes Planetæ in Nouilunijs, & Plenilunijs intromittendo in elementarem plagam ſuas qualitates cauſæ ſunt alterationis, & generationis rerum per totam illam lunationem, atq; propterea tunc producunt effectus ſuæ ſimiles naturæ: & hinc fit quod in vna lunatione vigent febres vnius magis, quam alterius qualitatis, ſiue in ſpecie Apoplexiæ, vel Cardiacæ, vel Anginæ, vel Pleuritides, vel colici dolores, vel exanthemata, &c.

Hic

Hic autem notandum est quod quatuor Planetæ qualitate præditi, scilicet Saturnus, Iuppiter, Mars, & Venus referunt naturam, & qualitates quartarum de quibus dictum est: vt Iuppiter, qui producit humiditatem, & calorem assimilatur Veri: Mars, qui calorem, & siccitatem Æstati; Saturnus, qui frigiditatem, & siccitatem Autumno: Venus, quæ humiditatem, & frigiditatem Hyemi. Cum ergo contingit ipsos dominari in nouilunijs, & plenilunijs quatuor temporum Anni, alterant vel augendo in simili, vel minuendo in dissimili temporis qualitates.

Ex quibus omnibus colligitur quod plurimum conducere possit ad morborum cognitionem, & vsum Medicinę, contemplatio cælestis constitutionis singularum in Anno lunationum.

Eclipses tandem, & Cometæ quando apparent, diuersos quidem effectus, & varios producere possunt, iuxta ea quæ tradit Ptolemæus in 2. Apotelesm. & prę cæteris aliquando introducunt vniuersales morbos, & lues, & vt plurimum occultarum omnino qualitatum, de quibus in præsentiarum longum esset differere: attamen ne partem hanc omninò negligamus, ex qua non parum commodi ad artem Medicam emanare poterit, breuiter nonnulla dicemus.

In vniuersum obseruandum apud Eclipses dominium Planetarum, & fixarum respectum iuxta doctrinam Ptolemęi loc.cit. & secundum Planetarum, & fixarum dominantium naturam iudicandum de qualitate vniuersalis morbi, cui occurrendum suis contrarijs iuxta canonicam methodum.

In Cometis verò contemplandus est color: etenim proculdubio talium qualitatum producent effectus, & morbos, quales Planeta simili colore donatus, prout docet Ptolemæus cap. de Crinitis. Quod si mixtum colorem Cometa referat, vt sæpius contingit, iuxta mixtionem iudicandum, perinde ac solent Astrologiæ professores de fixis mixti coloris coniectare.

At quoniam Eclipsium, & Cometarum effectus sequuntur naturam Imaginum fixarum octaui Orbis; & ab Imaginibus

ortum

ortum habent qualitates mixtorum occultæ, quæ vt infra demonstrabimus non sunt elementares: vnde fit quod difficile, & penè impossibile sit reperire morborum vniuersalium antidotum: illud obseruandum censeo, vel secretum nullo auro comparandum: videlicet cuius nam peculiaris naturę, & speciei sit cęlestis imago tunc influens: ex ipsa enim imagine morbi apparebit medela: vt exempli gratia si Eclipsis, vel Cometes apparuerit in signo Scorpionis, vel hęc imago tunc pręsideat, iuxta ea quæ docet Ptolemæus, forsitan in ipso Scorpionis corpore aderit antidotum morbi, & similiter in cunctis.

Fixæ Stellæ illustriores, vt Regulus, Antares, Syrius, Procyon, Aldebaram, Arcturus, Orion, Pleiades, Azimech, Hircus, & aliæ, mirum est quantum valeant in alterando, & commouendo tàm simplicia, quàm mixta corpora. Galenus in 3. de Dieb. Decr. affirmat diuturnos morbos iudicari in contraria quidem temporis qualitate cum Hippocrate; verum maximè in exortu clarissimorum siderum, *quorum ratione* ait ipse *Ver, Æstas, Hyems, & Autumnus describuntur*. Hippocrates quoq; Aphor. 5. sect. 4. ait *sub Cane, & ante Canem difficiles sunt medicationes*: Etenim re vera magnas ostendunt vires fixa ciendo ventos, imbres, æstus &c. ideoq; plurimum pollent si decubitus momento Planetis, & Cardinibus assideant. Item Galenus sub Cane prohibet multum sanguinis mitti, libro de curandi ratione per missionem sanguinis.

Qua ratione vniuersalium causarum cælestium influxus ad singularia indiuidua dirigatur: Et in specie de momento Decubitus.

CAP. XVIII.



Plura sunt, quæ vniuersalem siderum influxum ad singularia indiuidua ordinando definiunt; & proponuntur à professoribus in varijs capitum titulis, vt inter

cæteros

cæteros à Magino, qui in suo de Diebus Decretorijs, & legitimo Astrologiæ in Medicina vsu proponit de vitæ moderatoribus; de Anæretis; de Directionibus, de Reuolutionibus annuis, &c. tandemq; de momento Decubitus. Nos ergo in præsentiarum agemus tantum de Decubitu, quoniam de cæteris alibi latè secundum naturalem Philosophiam diximus.

Et primò occurrit demonstrandum, quod nam fundamentum appareat, & quę ratio cur Decubitus possit esse causa morbi: Videtur enim in primis quod non possit esse causa morbi, quemadmodum neq; alia quæuis Astrorum constitutio alterius effectus naturalis in indiuiduis.

Pici Mirandulani argumentum contra hanc scientiam inter validiora vnum hoc est. Sidera causas vniuersales esse, vtque tales ad nullum indiuiduum attinere, vel attingere posse, nisi æqualiter ad omnia, & singula. Quod assumptum, quam leue, & quam inane sit, nunc ad oculum ostendetur.

Etenim fatetur iam Picus cælestes causas influere, & influere vniuersaliter in omnes: ergo si absq; discrimine, eumdem effectum in omnibus; & singulis eliciunt: iam enim eliciunt, quia causas efficaces esse fatetur: ergò sequitur forent Sol pari modo liquet ceram, & lutum: Immò dico amplius, etiam ignis, qui causa peculiarissima est, pari modo liquabit ceram, & lutum, qui potius lutum in durum lapidem, & silicem in puluerem calcis vertit, atq; plura similia. Quare autem hæc omninò contraria? an non, quod omne agens agit iuxta passibilis subiecti potentiam? vtiq; nulla enim alia ratio afferri potest.

Ad rem nostram: Sidera circuitibus suis perpetuis, & virtute actiua vniuersali continenter, & sine intermissione alterant, & agitant naturali omninò modo hanc sublunarem plagam producendo in ea quatuor primas qualitates, & afficiendo ipsa Elementa calore vitali, & humiditate radicali, quibus fæcunda fiunt ad generationem, & nutritionem mixtorum in genere, & in genere inquam cum Pico, quia causæ vniuersales sunt, itaque

tionem videlicet ſeptimus, & vndecimus, decimumquartum, vt teſtatur Galenus in p. de Dieb. Decr. Rurſus ſemiſeſtilis indicat ſextilem, ideſt tertius quintum diem: *Sextilis* indicat trinum ſcilicet dies quintus nonum; atq; ſimiliter in cunctis, & tàm in Menſe, quàm in Anno, & in Die.

Cæterum opus eſt, (quod accura tè notandum,) tàm in Criſibus, quàm in Indice, quod ſigna appareant iuxta naturam permixti Planetæ benefici adiuuantis in Decubitu. Vnde Galenus in p. de Dieb. Decr. loquens de indicatiuis ait. *Nam ſi vrinæ, vel ſputi, vel deiectionis, vel appetentiæ, vel cogitationis, vel ſenſus, mutatio manifeſta in quarto die contigerit, rationi conſonum eſt, vt ſimilis indicatio conſequatur illam in ſeptimo; bona videlicet, ſi ad ſalutem: mala, ſi ad mortem mutatio illa aſpirauerit.* Etenim ex vrina concoctio vel cruditas per ♃: à ſputis deiectionibus, & appetentia per ♀: à ſenſu, & cogitatione per ☿ &c.

Ex his verò, quę in hoc capite, & in pręcedentibus diximus planè conſtat falſam eſſe ſententiam eorum, qui aſſerunt indicatiua momenta Criſium quadrati, & oppoſiti eſſe illa, in quibus Luna tangit ſextilem, & trigonum, qui radij non contingunt in quarto, & vndecimo, ſed in quinto, & nono. Verum quoniam, vt diximus omnis dimidiatio indicat accidentia toti, hinc fit diem 4. eſſe indicem ſeptimi, ideſt ſemiquadratum Quadrati: at vero ſeptimum, & vndecimum, ideſt Quadratum, & ſeſquiquadratum eſſe indicem quartidecimi: diem 3. eſſe indicem quinti, ideſt ſemiſextilem ſextilis; & quintum noni, ideſt ſextilem trigoni &c.

De Annis Climactericis.

CAP. XIV.


OBSERVATVM perpetuo re ipſa fertur, & inuenitur non modo à noſtri temporis recentioribus, ſed etiam olim ab antiquis, Annos illos, qui vel numero ſepte-

nario,

nario, vel nouenario componuntur, ferre secum vt plurimum aliquod discrimen, vel circa valetudinem, vel pacificum rerum statum; vnde hos Annos Climactericos vocauerunt, seu discriminosos.

De ratione horum annorum plures doctissimi viri loquuti sunt, quorum alij ad numerorum dignitatem cum Pytagoricis referunt virtutem; alij, quod cum Erraticæ Stellæ compleant septenarium numerum, si tribuamus singulis singulos annos, ius dominij, redeat primus singulis septem annis nouos eliciens effectus. Verum hæ rationes nullam præseferunt similitudinem veritatis.

Ratio autem non alia, quam quæ de Criticis diebus à nobis supra allata est, & deducta ex Galeni doctrina; cum hoc tamen discrimine, quod Critici dies habent causam efficientem cælestem, quæ actu elicit Crisim; Anni verò Climacterici habent causam efficientem cælestem, quę tantum prętordinat ipsos virtute, & potentia. Quapropter Anni Climacterici præexistunt virtute, & potentia, & præordinantur à Luna singulis septem, & nouem quoq; diebus post natalem: eliciuntur autem ad actum per nouilunia super loca obnoxia iuxta doctrinam Ptolemæi cap. fin. lib. 4.

Vt autem hæc intelligantur sciendum est, sicut docuimus in Cælesti Philosophia: Post diem natalis à Sole institui motum quemdam, quem Professores Directionis vocant, quo motu sidera applicant ad inuicem, & iunguntur ad nouos producendos effectus suo quoq; tempore, secundum quantitatem motus; motus enim mensurat tempus; quoniam tempus est numerus, & mensura motus.

Et sanè profectò ratio, & veritas huius motus Directionis à nemine vnquam professorum demonstrata est in natura; sed tantum ex obseruatione, & exemplis apparuit hic motus, & per traditionem ad manus posteritatis sine vlla rationis luce transmissus est. Nos verò in Cælesti Philosophia euidentem rationem

rationem optimeq; in natura fundatam aperuimus, quam hic recensere, & nimis longum esset, & superuacaneum.

Supponamus igitur tanquam certum, quod singulis diebus post natalem ordinatur motus Directionis, qui dies tanquam causæ per ordinem ad singulos annos vitæ tanquam ad effectus referuntur: etenim quæcunque accidunt diebus illis Astrorum familiaritates eliciunt suos effectus singulis annis per ordinem, itaquod primus dies referat primum annum, secundus secundum, tertius tertium, & sic deinceps.

His igitur stantibus, sequitur quod Luna diebus post natalem efficiat easdem familiaritates, quę Crisium causę sunt, Quoniam verò Directionis motus præordinat vitam cum suis effectibus à singulis diebus ad singulos annos, euidentissimè patet, quod climacterici, seu dicamus critici fiunt anni, qui numero septenario, vel nouenario componuntur: nam Luna singulis ferè septem diebus post natalem absoluit quartam partem circuli, idest Quadratum: singulis autem ferè nouem diebus tertiam partem, idest trinum: qui radij validiores cæteris omnibus censentur etiam ad Crisim inferendam: nam oppositio constat duplici quadrato &c.

Contingit autem annos climactericos magis vel minus graues apparere iuxta tum primariam Directionem moderatoris vitæ, tum etiam pro familiaritate Lunæ cum cæteris Planetis illis diebus: etenim si vitæ moderator tunc peruenerit ad aliquam hostilem familiaritatem maleficorum, atq; tunc Luna similiter ad Planetas maleficos appulerit, grauissimus continget annus ille climactericus; si verò vterq; potius ad beneficos peruenerint, nihil timendum: medij qui plures inter hos contingere possunt casus prudenti ratione iudicandi sunt.

Ex quibus omnibus planè constat quod nam sit principium, seu causa annorum climactericorum; & qua ratione Hippocrates, vt refert Galenus in p. de Dieb. Decr. affirmauerit morbos aliquando iudicari in vna, vel duabus, vel tribus annorum

hebdo-

hebdomadis : eadem enim omninò ratio est de criticis diebus, atq; de annis climactericis.

Amplius addo hinc deduci rationem quare Ptolemæus lib.3. cap.14. affirmauerit Directionem moderatoris vitę ad proprium quadratum lethalem esse; etenim vt Galenus asseruerat in 3. de Dieb. Decr. inferiora omnia alterantur, & immutantur Solis, & Lunæ motu per quartas suorum circuituum : ita quod in hoc capite nihil vltra desiderari, vel addi possit.

De statuendo momento Decubitus.

CAP. XV.

NON leuis persæpe difficultas in hoc solet contingere, maximè in morbis tardi motus, & qui diuturni euadunt; quorum initium vt plurimum latet insensibile, sicut Galenus ipse fatetur in p. de Dieb. Decr. dicens: *Cæterum cum exactum morbi principium statuere semper sit laboriosum*, tunc subiungit Galenus, *neglectis obscuris principiis, contemplabimur quæ clarè apparent. Decretorios dies in manifestissimis experiamur : initium morbi tempus illud in vniuersum existimantes, cum ægri manifestè incipientes febrire decubuerint : id quod cenatis, & exercitatis, & lotis facillimè, subitoq; plerisq; contingit. In quem sanè modum Hippocrates indicationes ipsas à primo die, quo febricitauit homo, non ab illo, quo capite doluit, vel einsmodi aliud quippiam est passus, accuratè explorauit: quod in principiis huiusmodi, experientia dierum decretoriorum sit Medicis sita*, hæc Galenus.

Neq; nos conturbet quorumdam Astrologiæ professorum scrupulosa sententia, quod nimirùm opus sit omninò cognoscere primum morbi exordium, vt ad eius momentum describatur cælestis constitutio, & ad ipsum referantur momenta decretoria. Etenim si morbus leui tardoq; motu, & alteratione

exordia-

exordiatur cursum suum, quemadmodum principium insensibile est, ita prorsus minimæ qualitatis, alterationis, & motus, ipse morbus pendendus est.

Præterea leuis effectus, leuem habet causam tum propinquam, tum remotam; quare exordia euidentis, & notabilis effectus sumenda sunt in contemplationem; vt affirmat Galenus cum Hippocrate: immò non tantum quoad horam, sed etiam quoad diem, ita quod initium illud euidens pro momento veri decubitus, in quo construenda sit cęlestis figura, tandemue ad quod referantur omnia decretoria momenta, sit accipiendum.

In diebus ipsis decretorijs leuia principia alterationum, & motuum referuntur ad leuia decubitus, manifesta ad manifesta; nam ipsæ accessiones, quę plura habent tempora, vt docet Galenus in p. & 3. de Crisibus imitantur inuicem, atq; etiam ipsa tempora, vt exordia imitantur exordium, augmentationes augmentum, status statum, &c.

Et sanè quidem de leuibus, & occultis initijs accessionum, & Crisium nihil ad nos, ergo neq; de leui & occulto initio decubitus: manifestæ enim alterationes in Crisibus contemplandæ sunt, ergo etiam quod manifestum est initium morbi.

Præterea, vt dictum est, leue initium alterationis, leuem causę in agendo virtutem arguit; graue incrementum robustas vires; igitur constitutio cælestis tunc respicienda est, quando incipit ostendere validas vires, vt nimirum inde cognoscamus morbi qualitates, naturam, tempus durationis, grauitatem &c. validæ autem cælestium causarum vires non in dolore capitis, vt ait Galenus cum Hippocrate per huiusmodi dolorem non iudicari morbum, sed in euidenti inuasione febris ostenduntur, & in noua euidenti accessione iudicari: Etenim Crisis ait Galenus in 3. de Crisibus, in idem coire tempus debet cum accessione.

In recidiuis, & in puerperijs disputant Professores Medici à

quo nam momento enumerandi sint dies critici an ab initio morbi, an à recidiua; & an à momento partus, an ab initio subortę febris, quibus addi possunt violenti casus quicunq; : atque propterea quod nam censeatur verum momentum decubitus: ad quod paucis respondeo, quod ratio suadet à primo initio, dummodo non intercedat longum interuallum temporis cum plena salute; atq; propriè non recidiua, sed nouus morbus diuersæ qualitatis à priori euidenter appareat: Deinde ita exemplaria declarant: Tandem censeo, siue longum interuallum, siue breue interponatur obseruandum semper esse vtrumq; decubitum; omnis enim nouus euidens effectus, etiam si ab alio anteriori principio dependeat habet præsentem causam Cælestem, quæ morbi naturam manifestat: immò amplius dico cuiuscunq; grauioris symptomatis momentanea Cæli constitutio declarat eius naturam; id quod Medicam artem miro modo iuuare potest, ad cognoscendas videlicet eius causas, qualitates, naturam, & partes læsas: omnis enim præsentaneus effectus, habet præsentaneam causam agentem.

Dies salutares, aut infesti tàm benè, quàm ægrè valentibus quibus principijs astronomicis prænunciandi.

CAP. XVI.

PROPONIT ex professo Galenus hoc caput in 3. de Dieb. Decr. cap. 6. incipiens. *Porrò illud denuò repetendum est, quod nos quoq; obseruantes verissimum semper esse comperimus, ab Ægyptijs Astronomis inuentum, Lunam non modo ægris, sed etiam sanis dies quales tandem futuri sint, posse prænunciare.*

In primis ex hoc capite constat Galenum non modo peritissimum extitisse rerum astronomicarum, hoc quod etiam liquet ex omnibus eius operibus de Dieb. Decr. & de Crisib. sed maximè quod præceptis huius artis vteretur. *Quod nos quoq;*

ait ipse, *obseruantes verissimum semper esse comperimus*. Pace dixerim eorum Medicæ Professionis, qui hęc vel negligunt, vel spernunt, vel damnare minimè verentur.

Igitur ex motu Lunę propositum Galenus censet inuestigandum; cum tamen re vera ex motu etiam Solis, & aliorum, vt infra patebit, inquiri debeat: quare subiungit ipse.

Si enim ad Planetas temperatos steterit, faustos ac bonos dies producere; si ad intemperatos graues molestosq; Planetę temperati sunt Iuppiter, & Venus, intemperati verò Saturnus, & Mars; Mercurius naturam eorum induit cum quibus familiaritate iungitur, maximè hostili cum maleficis, benigna cum beneficis.

Vbi notandum quod loca Planetarum bonorum, & malorum in hoc loco Galenus non intelligit quæ possident Planetæ quotidiano motu, sed quæ in natali, sicut in sequentibus se declarat exemplo, dicens.

Fingamus enim quodam nascente salutares Planetas in Ariete, malignos in Tauro esse: is homo nimirum, cum Luna in Ariete Cancro, Libra, & Capricorno fuerit, pulchrè deget; cum verò Taurum ipsum, vel tetragonum aliquod, vel diametrum signum occupat, malè tunc, & molestè vitam transiget. Congruunt hæc Galeni verba exquisitè cum Ptolemæi doctrina capitis finalis lib. 4. vbi agens de temporum diuisione pręcipit obseruandos esse transitus Planetarum super loca natalis ad cognoscenda effectuum tempora.

Sciendum autem est quod huiusmodi transitus sunt in duplici differentia: quidam enim sunt actiui, quidam passiui: passiui sunt vbi Luminaria quotidiano motu transeunt super loca Planetarum actiuorum radicis: actiui verò sunt quando actiui Planetæ motu quotidiano transeunt super loca moderatorum radicis. Vnde constat Galenum loquutum esse non de actiuis transitibus, sed de passiuis, & solummodo Lunæ. Attamen actiuos quoq; transitus pari virtute præstare, & ratio suadet, & auctori-

tas.

tas Ptolemæi, qui loco citato hæc habet.

Quibus verò temporibus magis elucescet decreti vis, significatur ab annuorum, & menstruorum signorum cum obnoxijs locis configuratione, & secundum ingressus astrorum, & Solis Lunæque radiationes ad annua, & menstrua signa. Nam si conuenienter se habent cum locis affectis ab initio in genitura accepto, & secundum inambulationes conuenienter illis configurantur pro re proposita bonum. Si inconuenienter, & præter conditionem, opposita quidem, aut quadrangula figura in transitibus malorum authores sunt, aliter verò configurata non ita.

Quæ vt intelligantur. Notandum quod tum in natali, tum in Decubitu, tum etiam quotidiano circuitu ad quódcumq; momentum pro qualibet re naturali, in Cælo semper distinguendum est id quod subiecti passibilis vices gerit ab ijs, quę vtpote qualitatibus actiuis prædita, efficientis causæ munus exercent. Quæ subiectum passibile referunt, sunt Sol, Luna, Horoscopus, Culmen, & Pars Fortunæ: quæ verò efficientem causam, sunt omnia sidera qualitatibus actiuis prædita: vt Saturnus, Iuppiter, Mars, Venus, Mercurius, & sidera maximè ex illustrioribus fixa, tandem etiam ipsa luminaria, si Planetarum actiuorum qualitates induant.

Secundo notandum, à quinq; prædictis locis Sole, Luna, Horoscopo, Culmine, & Parte Fortunæ significari substantiam, à reliquis verò Planetis qualitates, humores, & potentias. Quando igitur Luminaria transeunt super loca reliquorum planetarum natalis, videlicet passiuo modo, conuertunt alimentum in bonam vel malam substantiam iuxta naturam ipsius planetę: Quando verò Planetę transeunt super loca Luminarium, & vitæ moderatorum afficiunt ipsam substantiam bonis, vel prauis qualitatibus: Vnde patet ratio quod etiam transitus actiui efficaces sunt; & quod non modo sit obseruandum quando Luminaria transeunt super loca bonorum, & malorum natalis,

ſed etiam quando reliqui Planetę boni, vel mali tranſeunt ſuper loca Solis, Lunæ, Horoſcopi, Culminis, & Partis Fortunæ natalis, iuxta ſcilicet rem propoſitam vnicuiq; ſubiectam, de quibus loquitur Ptol. cap. finali lib. 4. & alibi. Ex his verò deducuntur pulcherrima ad electiones de quibus agemus infra.

Galenus autem ſequitur dicens. *Atq; iam morborum initia huic cum Luna in Tauro, Leone, Scorpio, & Aquario fuerint peſſima: ſine periculo autem, & ſalutaria ſunt cum Arietem, Cancrum, Libram, & Capricornum Luna permeat &c.*

Grauis proculdubio euadit Decubitus ſi tunc Luna inueniatur in familiaritate hoſtili maleficorum natalis: ſed nos addimus ſi non modo Luna, verum etiam Sol, & Horoſcopus ſimiliter ponantur: qui omnes ſunt tranſitus paſſiui: Si verò etiam per tranſitum actiuum malefici obſideant in Decubitu loca moderatorum vitæ natalis, augeri morbum validiſſimè; atq; fieri omnes in multiplicatos conteſtes grauitatis morbi: Etenim vt alibi diximus, & demonſtrauimus, Decubitus eſt ſemper ſimilis cauſis morbi, & quæ in natali apparent, & quæ per Directionem offendunt. E contra ſi tranſitus tam actiui, quam paſſiui fiunt à beneficis proſunt, & leuant ægrum ad ſalutem.

Rurſus Galenus. *Ad hæc alterationes magnas, quas in tetragonis, & diametris per ſeptimanas fieri diximus, in lethalibus quidem morbis lethales & ipſas, in ſalubribus bonas euenire neceſſe eſt. Quamobrem Hippocrates etiam damnat maximè mutationes, quæ in diebus decretorijs ad peiora declinant; quippe quod lethalis morbi ſymptoma ſit, quemadmodum, vt arbitror benigni contrarium.* Cum prius de Decubitu dixiſſet Galenus, nunc vna cum Hippocrate loquitur de Criſibus, quæ ob eamdem rationem per tranſitum ſcilicet bonorum, vel malorum leuiores, vel grauiores contingunt vtiq; ad ſalutem, vel ad interitum.

Tandem ſiue poſt decubitum in ægris, ſiue in benè valentibus

tibus per totam vitam, transitus tàm actiui, quàm passiui, prænunciant iuxta naturam planetarum, & iuxta genus moderatorum, videlicet circa res sibi subiectas, tempora felicia, siue infelicia.

Quæ causæ cælestes generales diuersorum morborum in Anni circuitu exorientium.

CAP. XVII.

CVM de causis, & ordine criticorum dierum, & accessionum plurima è sideribus deducta, & dicta sint: nunc ad cognoscendam naturam, qualitates, & grauitatem, vel leuitatem morbi accedimus: Quarum causæ cælestes, quamuis de se semper vniuersales, attamen inter ipsas, quædam generales, quædam particulares dicuntur.

Generales causæ morborum sunt primò quatuor Anni tempora, eorum scilicet qualitates: deinde quatuor tempora mensis lunaris: rursus quæ vigent qualitates iuxta naturam dominantis Planetæ in singulis nouilunijs, & plenilunijs: item quatuor diei Quadrantes, fixæ quoq; Stellæ illustriores: tandem Eclipses, & Cometæ à quibus lues, aliaq; morborum vniuersalium genera emanant.

Particulares verò causæ morborum in Cælo sunt respectus, Astrorum, Eclipsium, & Cometarum ad singula; de quibus agemus postea.

Cum igitur quatuor Anni tempora peculiari qualitatum natura potiantur, quibus inferiores res vniuersali quodam influxu afficiunt; hinc proculdubio fit, quod ex diuersis Anni temporibus, & qualitatis aeris natura, ipsa quoq; humana corpora easdem qualitates hauriant; quibus magis ad vnum genus morbi delabitur, quam ad aliud, eoq; minus ad secundum naturam contrarium: Hippocrates Aph. 12. sect. 1. *Accessiones, & constitutiones morbi*, ait, *indicabunt, & anni tempora, &c.*

Vnde

Vnde ſequitur quod iuxta vniuſcuiuſq; naturam, temperamentum, & ætatem, alij hominum ægrotent vno tempore, alij alio; prout paſſim affirmat Galenus.

At verò quatuor Anni temporum natura ſic ſe habet. Ver humidum eſt, & calidum, quare ſanguineum. Æſtas calida ſicca, & cholerica. Autumnus ſiccus frigidus, & melancholicus. Hyems frigida, humida, & phlegmatica. Ergo ſanguinei in Vere, cholerici Æſtate, melancholici Autumno, phlegmatici Hyeme vt plurimum ęgrotant, & morbi his temporibus ad huiuſmodi naturam accedunt, ita Galenus vbi de Differ. febr. lib. 2. cap. 1. diffusè.

Quoniam verò hæc quatuor Anni tempora, quæ excitantur à Sole, inueniuntur etiam in menſe illuminationis Lunæ; nam Luna à prima apparitione frigiditatem, & humiditatem efficit vſq; ad primam Dicotomam; inde ad Plenilunium humiditatem, & calorem; à Plenilunio ad ſecundam Dicotomam calorem, & ſiccitatem: in reliquo vltimo quadrante ſiccitatem, & frigiditatem, ſequitur quod ſicut Anni Quadrantes excitant febres iuxta ſuam vniuſcuiuſq; naturam; ita memorati Lunę Quadrantes ſimili modo, & ob eamdem rationem promoueant febres quilibet iuxta ſuam naturam. Verum tamen eſt vt docet Galenus in 3. de Dieb. Decret. cap. 2. *quod Luna ſecundum vires agendi Sole inferior eſt.*

Quadrantes quoq; diei ſimiles eſſe Quadrantibus Anni iam ſupra demonſtratum reperitur.

Imperantes Planetæ in Nouilunijs, & Plenilunijs intromittendo in elementarem plagam ſuas qualitates cauſæ ſunt alterationis, & generationis rerum per totam illam lunationem, atq; propterea tunc producunt effectus ſuæ ſimiles naturæ: & hinc fit quod in vna lunatione vigent febres vnius magis, quam alterius qualitatis, ſiue in ſpecie Apoplexiæ, vel Cardiacæ, vel Anginæ, vel Pleuritides, vel colici dolores, vel exanthemata, &c.

Hic

Hic autem notandum est quod quatuor Planetæ qualitate præditi, scilicet Saturnus, Iuppiter, Mars, & Venus referunt naturam, & qualitates quartarum de quibus dictum est: vt Iuppiter, qui producit humiditatem, & calorem assimilatur Veri: Mars, qui calorem, & siccitatem Æstati; Saturnus, qui frigiditatem, & siccitatem Autumno: Venus, quæ humiditatem, & frigiditatem Hyemi. Cum ergo contingit ipsos dominari in nouilunijs, & plenilunijs quatuor temporum Anni, alterant vel augendo in simili, vel minuendo in dissimili temporis qualitates.

Ex quibus omnibus colligitur quod plurimum conducere possit ad morborum cognitionem, & vsum Medicinę, contemplatio cælestis constitutionis singularum in Anno lunationum.

Eclipses tandem, & Cometæ quando apparent, diuersos quidem effectus, & varios producere possunt, iuxta ea quæ tradit Ptolemæus in 2. Apotelesm. & prę cæteris aliquando introducunt vniuersales morbos, & lues, & vt plurimum occultarum omnino qualitatum, de quibus in præsentiarum longum esset differere: attamen ne partem hanc omninò negligamus, ex qua non parum commodi ad artem Medicam emanare poterit, breuiter nonnulla dicemus.

In vniuersum obseruandum apud Eclipses dominium Planetarum, & fixarum respectum iuxta doctrinam Ptolemęi loc. cit. & secundum Planetarum, & fixarum dominantium naturam iudicandum de qualitate vniuersalis morbi, cui occurrendum suis contrarijs iuxta canonicam methodum.

In Cometis verò contemplandus est color: etenim proculdubio talium qualitatum producent effectus, & morbos, quales Planeta simili colore donatus, prout docet Ptolemæus cap. de Crinitis. Quod si mixtum colorem Cometa referat, vt sæpius contingit, iuxta mixtionem iudicandum, perinde ac solent Astrologiæ professores de fixis mixti coloris coniectare.

At quoniam Eclipsium, & Cometarum effectus sequuntur naturam Imaginum fixarum octaui Orbis; & ab Imaginibus

ortum habent qualitates mixtorum occultæ, quæ vt infra demonstrabimus non sunt elementares: vnde fit quod difficile, & penè impossibile sit reperire morborum vniuersalium antidotum: illud obseruandum censeo, vel secretum nullo auro comparandum: videlicet cuius nam peculiaris naturę, & speciei sit cęlestis imago tunc influens: ex ipsa enim imagine morbi apparebit medela: vt exempli gratia si Eclipsis, vel Cometes appareuerit in signo Scorpionis, vel hęc imago tunc pręsideat, iuxta ea quæ docet Ptolemæus, forsitan in ipso Scorpionis corpore aderit antidotum morbi, & similiter in cunctis.

Fixæ Stellæ illustriores, vt Regulus, Antares, Syrius, Procyon, Aldebaram, Arcturus, Orion, Pleiades, Azimech, Hircus, & aliæ, mirum est quantum valeant in alterando, & commouendo tàm simplicia, quàm mixta corpora. Galenus in 3. de Dieb. Decr. affirmat diuturnos morbos iudicari in contraria quidem temporis qualitate cum Hippocrate; verum maximè in exortu clarissimorum siderum, *quorum ratione* ait ipse *Ver, Æstas, Hyems, & Autumnus describuntur*. Hippocrates quoq; Aphor. 5. sect. 4. ait *sub Cane, & ante Canem difficiles sunt medicationes*: Etenim re vera magnas ostendunt vires fixa ciendo ventos, imbres, æstus &c. ideoq; plurimum pollent si decubitus momento Planetis, & Cardinibus assideant. Item Galenus sub Cane prohibet multum sanguinis mitti, libro de curandi ratione per missionem sanguinis.

Qua ratione vniuersalium causarum cælestium influxus ad singularia indiuidua dirigatur: Et in specie de momento Decubitus.

CAP. XVIII.

MVLTA sunt, quæ vniuersalem siderum influxum ad singularia indiuidua ordinando definiunt; & proponuntur à professoribus in varijs capitum titulis, vt inter

cæteros à Magino, qui in suo de Diebus Decretorijs, & legitimo Astrologiæ in Medicina vsu proponit de vitæ moderatoribus; de Anæretis; de Directionibus, de Reuolutionibus annuis, &c. tandemq; de momento Decubitus. Nos ergo in præsentiarum agemus tantum de Decubitu, quoniam de cæteris alibi latè secundum naturalem Philosophiam diximus.

Et primò occurrit demonstrandum, quod nam fundamentum appareat, & quę ratio cur Decubitus possit esse causa morbi: Videtur enim in primis quod non possit esse causa morbi, quemadmodum neq; alia quæuis Astrorum constitutio alterius effectus naturalis in indiuiduis.

Pici Mirandulani argumentum contra hanc scientiam inter validiora vnum hoc est. Sidera causas vniuersales esse, vtuè tales ad nullum indiuiduum attinere, vel attingere posse, nisi æqualiter ad omnia, & singula. Quod assumptum, quam leue, & quam inane sit, nunc ad oculum ostendetur.

Etenim fatetur iam Picus cælestes causas influere, & influere vniuersaliter in omnes: ergo si absq; discrimine, eumdem effectum in omnibus, & singulis eliciunt: iam enim eliciunt, quia causas efficaces esse fatetur: ergó sequitur forent Sol pari modo liquet ceram, & lutum: Immò dico amplius, etiam ignis, qui causa peculiarissima est, pari modo liquabit ceram, & lutum, qui potius lutum in durum lapidem, & silicem in puluerem calcis vertit, atq; plura similia. Quare autem hæc omninò contraria? an non, quod omne agens agit iuxta passibilis subiecti potentiam? vtiq; nulla enim alia ratio afferri potest.

Ad rem nostram: Sidera circuitibus suis perpetuis, & virtute actiua vniuersali continenter, & sine intermissione alterant, & agitant naturali omninò modo hanc sublunarem plagam producendo in ea quatuor primas qualitates, & afficiendo ipsa Elementa calore vitali, & humiditate radicali, quibus fæcunda fiunt ad generationem, & nutritionem mixtorum in genere, in genere inquam cum Pico, quia causæ vniuersales sunt, itaque

cum hac virtute quatenus vniuersalis est, in nullo subiecto producant notabilem effectum in specie, nisi vniuersalem illam alterationem. At verò in illis subiectis vbi inueniant dispositiones, & potentiam proximam secundum suas species paratam, vel in creatione Mundi, vel à causis specificis, vel per antecedentem siderum influxum; in eo subiecto eliciunt particularem notabilem effectum in specie.

Quoniam verò omnis effectus, qui ad actum educitur, est semper similis præexistenti potentię; atq; causa educens ad actum aliquem effectum, similis etiam est, saltem æquiuocè ipsi effectui, neq; enim à causa calidifica educi potest ad actum effectus frigidus &c. Consequens est, ad hoc vt influxus vniuersalis eliciat effectum aliquem in indiuiduo, quod sit similis præexistenti potentiæ in ipso indiuiduo.

Quapropter ægrotaturus homo ex iam concepta praua corporis, & sanguinis dispositione, non incipiet febrire, nisi in constitutione, & influxu siderum simili eidem dispositioni. Neque enim fieri vnquam poterit, quod si dispositio exempli gratia frigida sit, & melancholica, ibidem ab Astris calidificis accendatur febris vrens biliosa: Immò dico amplius; non incipiet febrire, nisi in constitutione, & influxu siderum simili etiam reliquis circumstantijs, quę ex diuersis corporis partibus, & diuersis qualitatibus, immò, & diuersis gradibus qualitatum emergunt. Vnde fiunt morbi in specie, vt Anginæ, Pleuritides, Phrenitis, Erysipelæ &c. quandoquidem omnis morbus, peculiares habet, & corporis partes, & humores, & qualitates, & qualitatum gradus.

Ex his ergo planè liquet ratio, propter quam influxus vniuersalis Astrorum dirigitur ad indiuidua passibilia: amplius quare Decubitus sit vera causa morbi: tandem quod in Decubitu tanquam in causa appareat qualitas morbi, & in quæ membra, & humores incidat, & an grauis, an leuis; vnde etiam coniectare possumus finem ipsius morbi, an ad salutem, an ad

occubi-

occubitum : itaquod etiamsi de natalis constitutione minimè constet, ex ipso Decubitu singula morbi accidentia, tum quæ instant, tum quæ futura sunt, æquè plenè cognoscere valeamus.

Tandem, vt diximus in superiori capite cum dominantes Planetæ in Nouilunijs, & Plenilunijs, & maximè qui familiaritate hostili pessundant ibi Luminaria, causæ sunt vniuersales morborum per totam illam lunationem : si contingat Plenilunium, aut Nouilunium, quod Decubitum præcedit, celebrari vel super maleficas natalis, vel quod maleficæ officientes luminaribus maneant super vitæ moderatorem natalis; horrendum est, & efficacissimum ad morbi vehementiam, & occubitum, cum hac differentia; si Decubitus sit diurnus, magis pollet Nouilunium, si verò nocturnus Plenilunium : atq; si maleficæ dominantes in Plenilunijs, & Nouilunijs eiusdem sint naturæ cum causis morbi natalis: Etenim Nouilunia huiusmodi potenti modo eliciunt ad actum effectus, quos præexistentes inueniunt similes propriæ naturæ.

Qualitates proprias mixtorum, & maximè Calorem vitalem, & humidum radicale, quæ vocatum Calidum innatum componunt, non esse elementa, neq; ab elementis ortum habere.

CAP. XIX.

DISPVTANT acerrimè de hoc titulo Authores, & præclari ex vtraq; parte, adeoquod non dedeceat vni adhęrere, cui tum rationes, & Physicę, & Astronomicæ, tum demum Aristotelis, & Galeni auctoritas fauere videatur. Et ipsi quidem diffundunt disputationem in amplissima volumina, quorum ob id prolixas ratiocinationes non conducit in hoc opusculum transferre; neq; cum illis disputare, qui

suam sententiam omnimodè fulcire nituntur, quiq; Aristotelis doctrinam etiam in aduersa, impropria, & impossibilia extorquere: Vt ideo statuissem omninò in hanc segetem tot spinarum litibus implicatam denuò non admittere manum, cum iamdudum nonnulla italico sermone de hoc titulo produxerim: Attamen quoniam vrget necessitas nouisse, & diuidere in ipsis effectibus partes corporis, quæ ad siderum differentias referuntur, subtrahere me ipsum ab hoc laboris onere minimè potui: breuitati igitur consulens paucis, sed maximis hanc rem absoluam.

Vt intelligatur titulus Quæstionis notandum, à nobis iuxta Philosophi doctrinam ex 2. de ortu, & interitu tex. 49. in mixto poni primò quatuor Elementa, vtiq; singula in gradu remisso; quæ quidem communia sunt saltem in specie, nisi quo ad gradum, vniuersis mixtis, & forsitan aliquibus in gradu quoq;: Deinde poni qualitates proprias, quæ à forma substantiali, siue vt aliqui Medici loquuntur à tota substantia dependent, quæ qualitates infinitos propemodum admirandos effectus producunt, vt est videre præter ipsam experientiam apud Dioscoridem, Plinium aliosq; celebres Authores. Pari modo in quolibet viuente post quatuor Elementa dicimus adesse calorem, & humiditatem vitales. Quas qualitates omnes tum proprias mixtorum, tum vitales animantium, neq; esse Elementa, neq; ab Elementis produci, sed tantum à Sole, & Luna, & Astris omninò affirmamus; concurrente quidem, causa specifica, vel quæ illius vicem gerat, iuxta illud Philosophi, *Homo hominem generat, & Sol*.

Nolo autem disputare cum ijs, qui negant omnino sidera agere in inferiorem plagam: hoc enim latè demonstratur à Philosopho, Galeno, alijsq; celeberrimis Authoribus; immò nouerunt etiam rudes, & imperiti agricolæ, & nautæ, cumq; pateat sensibus, etiam bruta animalia; testantur demum Anni tempora, & rerum in orbem perpetuus ortus, & interitus.

Tandem nolo differere cum iis qui asserunt Solem, & Astra esse ignem; satis enim contra Heraclitum disputat Philosophus in 2. meteor. sum. 1. cap. 2.

Dico Primo Solem, & Astra præter actionem quam habent validissimam in quatuor Elementa, transmutando vnumquodq; eorum in alterum, intromittere in eorum plagam alios etiam effectus diuersæ naturę, & longè nobiliores ipsis Elementis.

Prob. Primò. Producunt lucem, quæ nobilior est luce ignis, & pluribus de causis, vt quia intensior, clarior, augustior, pulchrior, quæ calefacit corpora etiam absq; eo quod calefaciat medium; saltem pari gradu; diffunditur ad loca remotissima, absq; eo quod successiuè saltem sensibiliter secundum intensionem deficiat, prout magis distat, quod patet ex Astris, quę pari lucis intensione semper, & vbiq; distantiarum affici videntur à Sole, cumq; Sol lumine calefaciat, iam eumdem in eodem gradu calorem in omni qualibet distantia producere valet, quod non præstat ignis; cuius calor successiuè deficit notabiliter prout magis distat, tandem desinit: colores rerum secundum suas species luce Solis clarè nitent, non sic luce ignis: tandem lux Solis abscondit, & extinguit lucem ipsius ignis.

Secundo Prob. Sidera producunt formas substantiales materiales omnium mixtorum; quæ formis, & qualitatibus Elementorum longè præstant: Maior propositio patet ex Philosopho diuersis locis, maximè vero vbi agit de causis perpetuæ rerum generationis, & corruptionis.

Tertio, Immò amplius: Sol producit animalia, vt Philosophus testatur in lib. de generatione animal. in Meteoris, & alibi: & patet in spontanea animalium generatione, quam fieri à Sole, & Astris, certum est.

Quarto, Calor, quem producit Sol nobilior est calore ignis; nobiliores enim, & robustiores habet effectus: (licet cum eodem calore etiam ignem producat: quod iam supponimus in propositione; scilicet quod Sol transmutet omnia quatuor Elementa:

menta: hoc enim minus est atq; inferius; & in virtute nobilioris, & robustioris contineri potest, & debet.) Quod verò calor Solis nobiliores, & robustiores habet effectus, quam calor ignis, patet: generat enim, & perficit fruges ad magnitudinem, colorem, saporem, odorem, maturitatem &c. quæ non præstat calor ignis; qui potius cuncta corrumpit. Amplius, vna cum Lunę actione producit Maris ęstum, quem non efficit Elementum ignis: Cæterum huiusmodi æstum nihil aliud esse, nisi rarefactionem, & condensationem à Luminaribus Cæli productam, alibi demonstraui; hac autem perpetua actione Luminaria introducunt in Elementa suas qualitates fæcundas ad mixtorum omnium generationem: Vnde Philosophus in 3. de ortu animal. cap. 11. ait *Generantur autem in terra humoreq; animalia, & Plantæ, quoniam humor in terra, spiritus in humore, calor animalis in vniuerso inest; itaut quodammodo plena sint animæ omnia.* Etenim ex actione Solis, & Lunę fæcunda fit omnis Elementaris regio ad animalium ortum nutritionem, augmentum &c.

Galenus libro de Marasmo declarat effectus nobiliores, quos exhibet calor viuentium, quem nos à Sole produci asserimus, vt mox dicemus, quam exhibeat flamma ignis, dicens: (Galeni autem verba breuitatis gratia desumpsimus ex Epitome Andreæ Lacunæ:) *Hallucinantur namq; dum flammam ignis omninò cum calore animalium conferunt, idq; minimè aduertentes, quod ortus flammæ est ex materiæ interitu, de qua ea est accensa. Animalia verò, non sic suum, ab eo qui illam effinxit, insitum habuere calorem: sed potius vt ab eo augerentur, regerenturq;. Nec vllum est tempus, quo innatus hic calor per vniuersam eam materiam non diffundatur, vires non modo eas continens, quibus animal format, verum & alias præterea plures. Quippe & alimentum attrahit, & materiam dispensat, apponit, vnit, assimilat, omniaq; vt in summa dicam, circa sibi congenitam materiam perficit, con-*

tra quam flamma faciat. Nam qua vnquam flamma, materiam, cui annexa est, adauget? vel quæ etiam materiæ potius alimenta assimilat, quam eam sibi? Et quæ tot excogitauit modos, vt eam tueretur materiam? Itaq; quum illi ijdem natiuum calorem esse naturam fateantur, non rectè faciunt flammis eam comparantes. Vides modo Lector quam nobiliores habeat effectus calor innatus effectibus flammæ. Sed noui responsurum fateri quidem tuum calorem non esse ignis flammam, verum moderatum eius calorem. At sanè profectò stultum omninò est censere Galenum loqui contra asserentes calorem viuentium esse flammam ignis, scilicet cum summis gradibus & exuperantia caloris.

Quinto, Sol suo calore generat in visceribus terræ mineralia vt aurum &c. quem non potest ignis: licet enim Chimici transmutent inferiora metalla in nobiliora (si verum sit) non præstant solo igne, sed adhibitis alijs actiuis simplicibus: Sol autem solo calore ipsam terram in aurum transmutat. Sol item in Mari, & stagnis etiam de nouo cauis generat Pisces, Cancros, Ostreas, & Plantas in imis: vbi non potest ignis manere: quoniam omne Elementum mouetur ad suam sphæram, si extra generetur, vt imbres deorsum, flamma sursum &c. vel certè transmutatur in Elementum ambiens. Scio quod refugies ad falsum illud, non dari Elementum purum: cum tamen re vera Elementa perpetuò permixta sint calore, & humore cælesti, de quibus loquimur, & quibus secunda fiunt ad mixtorum generationem.

Sed Dices, Calor, quem producit Sol in Elementis, & viuentibus est igneus, & eiusdem omninò naturæ cum calore ignis; quod patet dum radij Solis congregati generant ignem: Quare omnis effectus caloris Solis referendus est ad ignem tanquam ad caussam principalem. Contra est: Lux & calor Solis sunt instrumenta Solis; Solem autem non esse ignem ex professo demonstrat Philosophus contra Heraclitum loco supra citato. Cæterum, quod Sol transmutet Elementa, est minima actio, quam

quam efficere possit, latius enim patet eius virtus eminens, ad nobiliores videlicet effectus: Producit autem ignem ingenti rarefactione, quam excitat eius lux, vnde procedit calor: neq; enim calorem calore generat, quoniam Sol non est formaliter calidus.

Dices tandem. Effectus quoscunq; produci à quatuor primis qualitatibus Elementorum, ad quas reuocantur omnes quæcunq; aliæ qualitates secundæ; vt patet ex Philosopho. Resp. Negando absolutè absuntum: nam qualitates Elementorum nihil vltra producere valent, nisi tantum Elementa: ad mixta enim generanda requiritur qualitas nobilior scilicet vel specifica, vel cælestis, vt mox dicemus; neq; enim Elementa generant Hominem, sed Homo, & Sol. Cæterum qualitates secundæ Elementorum reuocantur ad primas eorundem; similiter & cælestes ad cælestes: & hoc est quod voluit Philosophus.

Sexto, Sol & sidera concurrunt cum omnibus causis immediatis: ergo si cum formis Elementorum ad producenda Elementa, etiam cum omnibus formis mixtorum specificis ad producenda mixta concurrunt.

Hucusq; demonstratum apparet Solem, & sidera non modo transmutare Elementa, verum etiam producere alios nobiliores effectus, qui apud mixta inueniuntur.

Dico secundo, Elementa à se solis neq; singula, neq; omnia simul possunt attingere productionem mixti. Notandum vero est; quod Elementa tripliciter dici possunt attingere productionem mixti, vel tanquam pura materia, seu partes miscibiles; vel tanquam pura causa efficiens; vel sub vtraq; ratione simul. Secundum dici non potest, quoniam Elementa sunt materia, seu partes miscibiles: si dicatur primum assentietur nobis. Quæstio igitur est, an Elementa sint causæ, & materiales, simul & efficientes.

Notandum secundo. Elementa in mixto singula, & omnia, non esse actu, sed potentia, scilicet refracta, & concocta; ita ut

quando generatur mixtum, deperdant suum actum: Cæterum dum coquuntur vtiq; actionem patiuntur.

Probatur igitur, Elementa non posse esse causam materialem, simul, & efficientem. Mixtio fit per coctionem, & non modo in ortu, nutritione, & augmento mixti; verum etiam in reparanda salute ægrotantium; quæ coctio fit à calore: Igitur ignis suo calore coquendo agit non modo in cætera Elementa, sed etiam in se ipsum: nihil autem potest esse causa efficiens, & materialis secundum eamdem rationem: Ignis ergo suo calore non potest eumdem suum calorem frangere, & coquere.

Secundo, Elementa in mixto non manent actu, sed potentia, scilicet concocta: sed calor vitalis manet actu, à quo scilicet fit coctio, & oriuntur omnia munera vitæ, vt notat Galenus tex. allegato: at vero causa, quæ tantum potentia manet, non potest exhibere effectum actualem, neq; actu agere; quoniam nobilior est & perfectior actus, quam sit potentia: nemo autem dat quod non habet: & modus agendi sequitur modum essendi.

Dices: Elementa esse in mixto refracta, in potentia, & concocta, nihil aliud est, nisi quod auferunt sibi inuicem summos gradus qualitatum, atq; ita conueniunt in mixtum. Sed contra est; nam sequitur quod iam non calor coquendo sit causa mixti, vt Philosophus, Galenus, & omnes Doctores asserunt; sed omnia Elementa simul, atq; à se solis se se inuicem excoquunt, & corrumpunt alterum alterius actuale esse, atq; ab actu ad statum potentiale inuicem deponunt: Et in nutritione Elementa actu agent, cum tamen maneant solum potentia; nullumq; erit discrimen essendi Elementorum intra vel extra mixtum, nisi tantum alteratione suarum qualitatum. Ni fortè dicas, qualitatès Elementorum esse formas substantiales eorumdem: quod absurdum: substantia enim non admittit magis & minus: atq; binæ formæ aderunt in singulis.

Tertio, Elementa absq; concursu alterius causæ videlicet specificæ mixtorum, vel quæ illius vicem gerat producere

possent mixtum quodlibet: Immò amplius, ex omni actione Elementorum inter se, nunquam sequeretur vnum in alterum vicissim transmutari, sed continenter sequeretur generatio alicuius mixti: Tandem posset quisq; sine concursu causæ specificæ, sumendo exempli gratia terram, aquam, aerem in vase, & apponendo ad ignem, pro sua libertate mixtum quodlibet producere; quod vsu non fit, & nihil aliud sequitur, nisi Elementorum confusio.

Quarto. Qualitates Elementares sunt propriæ Elementorum; sed qualitates propriæ emanant à natura, & forma substantiali vniuscuiusq; rerum speciei: ergo non possunt Elementa suas proprias qualitates efficere proprias mixtorum, in quibus emanant à propria forma specifica. Nicolaus Saccus interpretando Aristotelem ait calorem viuentium esse instrumentum animæ; ergo dico ego non nisi proprietas animantium, & non ignis, vt de cætero ipse affirmat, esse potest.

Sed dices. Qualitates Elementorum sunt propriæ eorumdem si sint in gradu summo: Deinde iam in omni mixto reperiuntur omnia quatuor Elementa, & eorum qualitates. Respondeo; Primum falsum esse. Cæterum in mixto qualitates Elementorum non actu, sed potentia manere, & excoctas: statim enim ac cruditatem concipiunt, generant putredinem, & mixti resolutionem; nulla enim alia ratio apparet putredinis, & resolutionis mixti. Vnde pulchrè sequitur, quod animal ægrotat aduentu, siue dicamus generationē caloris extranei Elementaris; mox conualescit si extinguatur, & coquatur: Cumq; huiusmodi calor Elementaris tunc adsit, & absit præter animalis corruptionem, vtiq; sequitur non esse proprium animalis, sed Elementi. Quod si proprius calor animalis extinguatur, extinguitur animal.

Quinto. Omne agens vniuocum agit vt assimilet sibi passum, idest vt producat effectum sibi similem in sua specie; ergo ignis agendo in cætera Elementa nullum producet mixtum: sed pro-

sequetur

ſequetur actionem gratia producendi ignem : mixta enim ab igne differunt ſpecie, & genere. Vnde optima ratione Philoſophus in 2. de generat. animalium cap. 3. dixit. *Quamobrem ignis nullum animal generat.*

Sexto, Si Elementa à ſe ſolis producunt mixta non apparet ratio temperamenti in ſpeciebus mixtorum : atq; quod caſu & fortuna oriantur mixta in ſuis ſpeciebus : iam enim ex propria libertate, vel caſu ad inuicem congrediuntur Elementa, agunt, & miſcentur.

Septimo. Non apparet ratio, quare Elementa non producant, & augeant mixta continenter vſq; ad ingentem, & indefinitam magnitudinem; & quare omne genus, & ſpecies viuentium appareat propriæ magnitudinis : etenim calor & ignis dato pabulo ſemper augetur : ſed & cætera Elementa ad inuicem agendo poterunt ſecundum ſe tota in mixtum conuenire.

Hæc ratio deſumpta eſt ex 2. de anima tex. 40. & ſeq. *Videtur autem*, ait Philoſophus, *quibuſdam ignis natura ſimpliciter cauſa nutritionis, & augmentationis eſſe, etenim ipſe videtur ſolus corporum, aut Elementorum ali, & augmentari, vnde & in plantis, & in animalibus putabit vtiq; quis hunc eſſe id, quod operatur. Hic autem concauſa quidem quodammodo eſt, non tamen ſimpliciter cauſa, ſed magis anima, ignis enim augmentum in infinitum abit, quouſq; fuerit combuſtibile, natura autem conſtantium omnium terminus eſt, & ratio magnitudinis, & augmenti, hæc autem anima ſunt, ſed non ignis &c.* Ignis ergo, immo & cætera quoq; Elementa non ſunt cauſæ mixti, ſed concauſæ, & *quodammodo*, ait ipſe : quoniam à qualitatibus Elementorum in animali ſeparantur naturæ quatuor humorum, & potentiarum, in quibus ſingulis magis vna qualitas præualet Elementaris, quam alia.

Octauo, Tandem ſi Elementa à ſe ſolis producunt omne genus mixtorum, iam Sol, & ſidera nihil agunt, & fruſtra manent, mouentur, & lucent, contra ſuppoſitum, & communem

octrinam summorum Authorum.

Hactenus demonstratum est quod Elementa tanquam causæ efficientes non possunt producere mixtum, neq; eorum proprias qualitates: insuper & quod Sol, & Astra præter virtutem transmutandi Elementa, producunt etiam nobiliores effectus, videlicet mixta, & eorum qualitates mirificas. Igitur ex parte caussarum satis liquet mixta, & eorum qualitates non esse Elementares, sed cælestes, scilicet produci à Sole, & Astris, non ab Elementis. Quod quidem satis esset; attamen ad maiorem huius sententiæ confirmationem demonstremus etiam ex parte effectus.

Dico tertiò, Mixtorum proprietates mirificæ non sunt Elementa, neq; ab Elementis ortum habent.

Prob. primò. Nobiliores sunt, & perfectiores: ergo non sunt Elementares. Neq; dici potest, hanc præstantiam oriri ex pluralitate, & mixtione causarum, quoniam à pluribus causis non emergit maior perfectio in effectu, nisi forsitan quando causæ sunt eiusdem speciei, & qualitatis: vt maior calor ex pluri igne; maior vis trahendi à pluribus trahentibus &c. Cæterum agens ignobilior non potest producere effectum se ipso nobiliorem; quoniam perfectiones in effectu emanant à causa efficiente, quæ dat esse, quale, &c.

Secundo, Emanant à forma substantiali: nam omnia indiuidua eiusdem speciei habent easdem proprietates: at verò forma specifica mixtorum non potest produci ab Elementis, & eorum qualitatibus; quoniam requiritur causa specifica; vel quæ illius vicem gerat.

Hic autem notandum est in quolibet viuente præter animam, quę est forma totius corporis, & summa animalis perfectio; dari necessario formas substantiales partiales humorum, & partium corporis; distinguuntur enim humores & partes inter se tum diuersis, tum contrarijs qualitatibus vt in pluribus doctrinæ suæ locis testatur Galenus: ergo distinguuntur etiam sub-

stantia-

ſtantialiter per formas partiales, à quibus emanant. Neque vlla emergit impoſſibilitas, idem compoſitum informari à duabus formis ſubſtantialibus, quarum vna imperfectior ſit, & ſubijciatur alteri perfectiori : iam enim forma ſpecifica animantis eſt actus & ſumma illius perfectio, & quemadmodum informat materiam primam, ita informat materiam ſecundam ſcilicet compoſitum ſe ipſa ignobilius. Hæc opinio eſt grauium Authorum, & apparet fuiſſe etiam Ariſtotelis, qui definit *animam eſſe actum primum corporis naturalis potentia vitam habentis, tale autem*, ſubdit ipſe in 2. de An. tex. 6. *quod vtique ſit inſtrumentale*. Eſt igitur ſecundum Philoſophum, actus non tantum materiæ, verum corporis organici, quæ verba intelligenda ſunt ſeparatim, non coniunctim; quoniam quando anima actuat corpus, adeſt actu vita in corpore; adeſt vero tantum potentia, antequam anima fiat actus eius.

Ex hoc autem fit quod qualitates propriæ in viuentibus partim oriantur ab anima iuxta animantium ſpecies, partim à formis partialibus iuxta humorum, & partium differentiam.

Tertio, In Elementis non apparet veſtigium proprietatum mixtorum, cum tamen propter quod vnumquodq; tale, & illud magis &c. ergo non ſunt Elementares.

Dices. Qualitates ſecundæ oriuntur à mixtione primarum: proprietates vero ſunt ſecundæ qualitates. Reſp. Proprietates mixtorum vel non eſſe qualitates ſecundas, quoniam emanant à forma ſubſtantiali, vel certè quemadmodum Elementares, puta colores, odores, ſapores &c. pendent à qualitatibus Elementorum, ita proprietates mirificę mixtorum ſunt qualitates ſecundę quæ à primis cæleſtibus oriuntur. Cæterum re vera quemadmodum mixtum exurgit ex qualitatibus Elementaribus, & cæleſtibus, ita proprietates eius emergunt mixtæ ex his omnibus qualitatibus ideſt Elementaribus ſimul, & cæleſtibus: quod innuit Philoſophus in 2. de anim. tex. 40. ſupra allato : *calorem ſcilicet ignis quodammodo concauſam eſſe mixti*. Vnde fit pro-

proprietates mixtorum habere etiam virtutem calefaciendi, humectandi &c. ad modum, & naturam Elementorum.

Quarto, Proprietates veneni censentur excessus qualitatum scilicet vel caloris, vel frigoris cum siccitate, iuxta duum maleficorum Planetarum naturam: at verò proprietates veneni animati sunt proprietates mixtorum: Sed hæ proprietates non oriuntur ab Elementis: nam pura terra potius alit plantas, quæ è contra venenis necantur; ignis quoq; potius ad curandos morbos adhibetur; atq; non propagat suas qualitates ad interiores partes animalis; neq; tangens infert necem ad instar venenatorum. Confirmatur hæc ratio: Animalia sunt mixta ex omnibus quatuor Elementis, ergo nullam qualitatem elementarem habent in summo: remanet ergo, quod veneni proprietas diuersæ naturæ sit ab Elementis. Quod si dicantur proprietates veneni non esse in summo gradu; eo magis pura Elementa veneni effectum ostendent: quod non contingit.

Quinto, Animalia eiusdem speciei easdem proprietates præseferunt, attamen indiuidua differunt secundum temperamentum, quod ex mixtione Elementorum emergit; vt apparet euidentissimè in hominibus, ergo proprietates mixtorum non habent originem ab Elementis. Aliæ quoq; rationes afferri possent, quas breuitatis gratia missas facimus. Sed descendamus ad qualitates vitales animantium.

Dico quarto. Calor vitalis non potest produci ab igne. Hæc conclusio satis liquet ex dictis; attamen adhuc,

Prob. Primò auctoritate Aristotelis ex 2. de gener. animal. cap. 3. sæpe ad hanc rem à Doctoribus allegata. *Inest enim*, ait ille, *in semine omnium, quod facit, vt fæcunda sint semina, videlicet quod calor vocatur, idq; non ignis, non talis facultas aliqua est &c.* & paulo infra. *Quamobrem ignis nullum animal generat &c.* tandemq; concludit. *Cæterum calorem in animalibus contentum nec ignem esse, neq; ab igne originem ducere, apertum ex his est.* Saccus vt diximus

mus interpretantur Aristotelem intelligere dependentiam illam, quam instrumentum habet à causa principali: atq; ita calorem in viuentibus ait non agere vt instrumentum ignis, sed animæ. Sed hæc interpratatio non probatur; quoniam Philosophus loquitur de rei essentia, & origine, non de virtute instrumentali in agendo: ait enim, *neq, constitui quiquam, &c. calorem nec esse ignem &c. Quamobrem ignis nullum animal generat &c.* Tandem si calor viuentium est instrumentum animæ, quomodo erit qualitas, & proprietas ignis? iam enim calor ignis est proprietas, & instrumentum eiusdem: igitur vel anima quoq; erit ignis, vel eadem proprietas, & qualitas erit plurimarum causarum specie, & genere differentium instrumentum: quæ dici non possunt.

Secundo item ex Philosopho, qui libello de respiratione cap. 14. constituit duplicem mortem, violentam, & naturalem; & illam contingere à principio extrinseco, absq; passione ab aduentitio contrario; & hanc, senectutem vocat. Deinde dicit quod in senectute ex leui passione contingit mors, eo quod paucum est calidum, vtpote plurimum euaporatum in multitudine vitæ. Quæ cum Hippocratis Aphor. 14. lib. 1. optimè congruunt; *Qui crescunt*, ait, *plurimum habent calidi innati, &c. senibus verò parum calidi innati inest.*

Vbi quæro primò causam, quare calor vitalis euaporet, & successiuè minuatur in vitæ decursu, vsquequo tandem extinguatur; nam si sit de natura ignis, facile admodum erit, ipsum ipsum calorem vitalem non modo conseruare eumdem, & in eodem gradu in perpetuum, verum etiam augere: attamen in senectute calor decrescit, cui diminutioni hucusq; non apparuit modus succurrendi, sicut Galenus testatur libro de Marasmo.

Secundo. Quomodo fieri possit, quod, extincto calore vitali in plantis, & animalibus remaneant in truncis eædem mirificæ virtutes; iam enim primarum qualitatum, & Elementorum temperamentum, & mixtio notabiliter mutata est.

Tertio,

Tertio. Quo nam modo contingat, si calor vitalis est igneus, vt successiuè in senectute minuatur, tandemq; penitus extinguatur absq; actione contrarij, & sine passione caloris. Qualitates enim Elementorum non remittuntur nisi à suis contrarijs. Quod si dicatur calor vitalis continenter minui, atq; tandem extingui ratione consumptionis, & defectus humidi, quo tanquam pabulo alitur. Peto, Quare hoc humidum reparari, & restitui non possit infusione aquę: nulla apparet implicantia, vt similiter & humidum ex aqua, & calor ex humido, atq; ex igne reparari possint in æuum.

Sed hæc, dico ego, contingunt, quoniam sicut lumen Solis, & Lunæ non habent contrarium positiuum, ita asserere possumus quod eorum calor & humor non habent contrarium eiusdem naturæ: atq; ita minuuntur, & deficiunt absq; passione: attamen quoniam proculdubio habent contrarium diuersæ naturæ, & sunt omnia quatuor Elementa; nam perpetuò ad inuicem pugnant qualitates cælestes, & elementares, vnde præcæteris oritur Crisis, vt dictum est supra; & qualitates quidem cęlestes agunt in Elementa coquendo, & in mixtum ea congregando; è contra Elementa agunt in qualitates cælestes corrumpendo, vnde oritur cruditas, & putredo, gratia se se restituendi ad proprium, & connaturalem statum cruditatis, & simplicitatis: ideo qualitates cælestes extinguuntur violenter ab omnibus, & singulis Elementis, vt ab excessu caloris, frigoris, siccitatis, & humiditatis iuxta Galeni doctrinam lib. de Differ. morb. Item calor vitalis extinguitur penè violenter per absumptionem humiditatis radicalis, quæ & ipsa est qualitas cælestis; vnde sequitur Pulmonum siccitas, quæ, vt subinfert Philosophus causa est extinctionis caloris, & vitæ. Tandem calor vitalis extinguitur naturaliter per euaporationem, seu vt ait Philosophus perfectionem, scilicet finem præexistentis potentiæ, seu virtutis seminalis, ex qua calor vitalis continenter exit ad actum; quod contingit in vltimo senio, & sine vlla passione.

Tertio. Prob. item ex Arist. qui in 4. Meteor. sum. prima cap. 2. agens de generatione corruptione, & putrefactione ait. *Putrefactio autem est corruptio eius, quæ in vnoquoq; humido propria, & secundum naturam caliditatis ab aliena caliditate, hac autem est quæ ambientis. Quare quoniam secundum indigentiam patitur calidi, qua autem indigens tali virtute frigidum omne, ambæ vtiq; causæ erunt, & putrefactio communis passio, & frigiditatis propria, & caliditatis aliena. Propter hoc enim & sicciora fiunt, quæ putrescunt omnia, & tandem terra, & fimus. Exeunte enim proprio calido, euaporat quod secundum naturam humidum &c.* Secundum quam doctrinam Philosophus loquitur etiam in sequenti capite. Quæro igitur quæ sit differentia inter calorem proprium, & alienum, vt si fiat indigentia proprij, alienus eidem suffici non possit si eiusdem sunt naturæ, vt potius illum extinguat, & putrefactionem inducat.

Quarto. Prob. ex Galeni pluribus locis, maximè vero lib. de Marasmo textu partim supra allato, vbi eamdem ad vnguem doctrinam exhibet, quam ex Aristotele supra attulimus. Et in primis asserit senij affectionem omninò ineuitabilem esse, nec quicquam profecisse quemdam Philosophum sui temporis libro, quem vitandæ gratia senectutis ediderat: ait ergo Gal. de calore vitali. *Itaq; vsq; ad ætatem vigoris relucet, augeturq; cuius magnitudo quamplurimum tunc attollitur. Mox verò inopia alimenti contingit, vt tabescat paulatim; atq; idipsum existit senectus.* Vbi nomine alimenti intelligi quidem potest humidum radicale, quod augetur vsq; ad statum vigoris, inde minuitur, vsq; tandem omnino deficiat: sed rationi magis congruit accipere præexistentem potentiam seminalem, ex qua educitur ad actum ipse calor, vt dicemus: nam deficiente, seu exeunte proprio calido, humidum secundum naturam illud euaporat, vt dixit Philosophus loco citato. Sequitur Galenus. *Sed & paulo post extinguitur penitus, id quod mors est;*

videlicet naturalis, ad differentiam violentæ, vt diximus. *Hic itaq; sermo omnibus ferè Philosophis, quam Medicis recentioribus placet, licet verus omni ex parte non sit. Hallucinantur namq; dum flammam ignis omninò cum calore animalium conferunt: idq; minimè aduertentes &c.* supra allata; ex quibus patet quam ingeniosè Galenus contrariorum contemplatione munerum, vitalem calorem ab ignis natura penitus eximat: Et ne dicas tuum calorem non esse flammam ignis, sed moderatum, quoniam ignis Elementaris vna cum cæteris Elementis ad mixti constitutionem collega accitus summos gradus deposuit contrariæ reliquorum actionis ope. Etenim, vt supradixi, inane est censere Galenum instituisse quæstionem supponendo aliquos asserere ignem in mixto summos caloris gradus, vt in flamma seruare, præstare & operi vitalium munerum admouere, vt propterea flammam vocarit: quoniam nemo inuentus est qui hoc affirmauerit, & aduersatur doctrinæ Arist. supra allegatæ ex 2. de gener. tex. 49. vbi asserit in omni mixto adesse omnia quatuor Elementa: iam ergo Galenus intelligit de calore viuentium eo modo & gradu, quo manet, de quo initio huius text. ait augeri minui, & extingui, & hunc flammæ ignis comparari non posse.

Item Galenus lib. 2. de Diff. febr. cap. 9. approbat Aristotelis sententiam dicens. *Porrò ab aliena caliditate exoriri putredinem, rectè professus est Aristoteles. Vocat autem alienam externam non familiarem, neq; natiuam. Hæc siquidem coquere nata est, illa verò corrumpere, quod est putrefacere.* Galenus ergo cum Philosopho non dicit quod moderata caliditas, sed natiua coquere nata sit: neq; ait quod nimia caliditas, sed aliena, putrefacere.

Rursus Galenus lib. 3. de causis pulsuum, declarans Hippocratis doctrinam ait. *Iam verò, vbi Hippocrates dixit, quæ augentur, plurimum habent calidi, non simpliciter calidi dixit, sed innati addidit, vt qui alterum sciret calidum*

acqui-

acquisititium esse, cuius magna copia iuuenibus suppetit. Est enim temperatus calor natiuus; acquisititius autem intemperatus, & quasi igneus. Vbi nomine temperiei calidi natiui, & intemperiei alieni non potest intelligi minor, vel maior gradus, sed præstantior natura, quæ in vitali, vel perniciosior, quæ in igne. Et quod in hoc sensu accipi debeat, patet ex eo, quod primò dixerat cum Hippocrate, quæ augentur habere plurimum calidi innati; quare hoc plurimum non affert intemperantiam, sed potius vigorem ad augmentum. Cæterum acquisititius calor iuuenibus magna copia suppetit ratione vigoris; quemadmodum è contra in senibus exiguus fit calor febrilis ob contrariam rationem. Sequitur Gal. *Similiter quando inquit, ventres Hyeme, & Vere natura calidissimi sunt, de calore natiuo intelligit. Quem quidem quum obtineant Æstate paucissimum, aduentitio calore abundant: vnde marcescit potius, quam nutritur corpus.* At quo nam modo fieri potest in Hyeme, quæ frigida est, ventres calidissimos esse; & in Æstate, quæ calida est, ventres frigidissimos esse; nisi Authores isti intelligant vitalem calorem diuersam habere naturam ab externo aduentitio? Vnde subdit Galenus. *Ad hæc is aduentitius calor, tantum abest, vt functiones meliores reddat, vt eas etiam longè inferiores efficiat illis &c.*

Item Galenus lib. XI. de Meth. Med. hæc habet. *Porrò natura putredinis est mutatio totius putrescentis corporis ad corruptelam à calore externo. Non enim profectò à proprio calore corrumpitur quicquam: immò prorsus contra, quicquid in rebus subsistit, id augetur, roboretur, sanum est, ac viuit, dum proprio calore regitur, veluti nimirum ipsa animalium corpora. quamdiu seruatur proprius eorum calor, &c.* Vbi notandum quod non dicit, quamdiù non augetur ad febrim; sed ait quamdiù seruatur: iam enim dixerat augeri in iuuentute, & in Hyeme, ex quo augmento non oritur febris.

Item Galenus lib. 2. de temperam. ait. *Quare attendendum*

est in singulis corporibus, suo ne an proprio, an adscititio calore incaleant. Quæ enim putrescunt omnia, adscititio calore sunt calida, frigent proprio. Si in quæ putrescunt omnia, ex proprio & alieno calore fit vnus, & idem immoderatus, vt asserunt aduersarij; iam nullo modo frigent, & proprius calor non perijt; verum adest & intensior ex additione alieni.

Item Galenus lib. de Tremore, & palpit. post quam egisset cum Hippocrate de rigore subdit. *Verum enimuerò, calidum hoc innatum minimè gigni motu, aut frictione arbitramur, sed corpus omni ex parte conspirabile, confluxileq; esse contendimus: calidum autem ipsum non aduentitium, nec animalis generatione posterius, sed primarium, primordiale, insitumq; putamus. Natura itaque animaq; nihil aliud quam calidum est.* Nomine calidi innati hoc loco Galenus intelligit compositum illud, quod resultat ex calore natiuo, & humiditate radicali; ideoq; dicit esse corpus: asserit autem non produci motu, aut frictione, ex qua oritur ignis; nec esse aduentitium, nec posterius generatione animalis; itaut postquam genitum est animal, non possit in eo rursus reproduci si extinguatur: tandem asserit esse naturam, & animam viuentis, à quo scilicet procedunt munera vitę, ideoq; excellentioris perfectionis, quam sit calor ignis; prætiosum, & incomparabile, quod tantum à luminaribus Cęli produci potest, quod si per ignis applicationem generari, subueniri, vel diutius prorogari posset, nihil obstaret quin in perpetuum homo vitam studio, & cura producere valeret; immò & quodcunq; animal pro sua libertate absq; seminibus generare.

Verum enimuerò si omnia, & singula loca, & verba, quæ apud Aristotelem, & Galenum habentur ad hanc rem confirmandam huc transferrem, maiorem huius Opusculi partem occuparent, quæ propterea mittenda duxi.

Hic reuocari posset in quęstionem an expulsio natiui caloris, & introductio alieni, sicut loquuntur isti Doctores, fiat motu

locali,

locali, an verò sola alteratione, & generatione, & corruptione. Ad quod breuiter dico, certum esse qualitatem non posse loco moueri sine subiecto; ideoq; fieri omninò per meram alterationem, & generationem alieni, & remissionem atq;corruptionem natiui. Ad rem nostram; Probatur conclusio ratione.

Quinto. In corpore humano adsunt quatuor humores secundum primas qualitates, & naturam diuersi: nam vt sæpe docet Galenus sanguis calidus, & humidus est. Pituita humida, & frigida. Bilis flaua calida, & sicca. Bilis atra frigida, & sicca. At verò omne quod in corpore hominis inuenitur, actu calidum est, & eodem calore eiusdem naturæ per totum corpus, quoniam procedit à corde; ergo etiam Pituita, & Bilis atra hoc calore actu calidæ sunt: ergo item Bilis flaua, & sanguis præter proprium calorem, qui est ex genere primarum qualitatum, quibus distinguuntur ab inuicem hi quatuor humores, admittunt calorem actu secundum naturam diuersum à sibi proprio; qui est ille vitalis, de quo est quæstio.

Sexto. Quatuor humores excernuntur, vel generantur à calore vitali, quippe à quo procedunt coctio, digestio, separatio, applicatio, & reliqua munera vitæ: Calor enim congregat homogenea, & separat eterrogenea, quę actio quędam est, & excerni passio: sed Calor vitalis quoniam moderatus, remissior est calore Bilis flauæ, quam calidissimam censet Galenus: qualitas autem non agit in qualitatem sibi similem in specie, & multo minus in intensiorem, quam neq; producere potest; actio enim & passio inter contrarias qualitates, quarum infirmior succumbere solet: requiritur ergo calor actiuus superioris ordinis, & naturæ, qui hæc munera obire valeat. Pari ratione differendum de atra Bile, & Pituita, quæ si frigidæ sunt secundum naturam, vt testantur omnes Doctores, cuius naturæ erit calor, quo actu calefiunt? Cæterum calor vitalis non tantum excernit flauam Bilem ab alijs humoribus, verum etiam partim coquit, digerit, & in bonam substantiam conuertit, partim à corpore

expellit:

expellit: eodem prorsus modo, quo sicut conspicimus Sol, & Luna agitant Elementa Vniuersi, & ea excoquunt ad mixtorum generationem, & nutritionem, itaut & Sol excoquat etiam Elementum ignis, & eo vsq; quo etiam extinguat: & Luna humiditate quadam fæcunda afficiat Elementum aquæ, vt dicemus.

Septimo. Calor vitalis in animali est causa efficiens saltem instrumentalis omnium munerum vitalium, vt est communis Philosophorum, & Medicorum sententia: sed munera vitæ exhibent contrarias operationes, vt est expulsio, & retentio &c. immò & contrarias quoq; qualitates, vt generare quatuor primos humores, carnem, ossa, pulmones, & omnes partes eterrogeneas: Sed hæc non possunt fieri ab igne, qui vt ait Galenus assimilat passum sibi, non alijs, vt vitalis calor: ergo requiritur agens superioris ordinis, & naturę, quod hęc præstare queat.

Octauo. In febribus augetur calor; at vero ieiunium auget calorem ex Philosopho de Respirat. cap. 3. *Ieiunia*, inquit, *calefaciunt, & sitim faciunt*. E contra ait ibidem. *Alimentum facit refrigerationem ingrediens*, quod etiam infra repetit: perperam igitur Medici febrientibus indicunt ieiunium, quod eo magis ad necem augebit in eis calorem; potius ergo præstare deberent copiam alimenti, vt refrigeret ad salutem. Sed re vera ieiunio absumuntur excrementa putrida, augetur calor vitalis, coquuntur cruditates, & ipse calor febrilis coquitur, & extinguitur.

Nono. Febrientes non concoquunt, vnde contingit perire appetitum, excrementa cruda, & inconcocta cerni, atq; minui omnia munera vitæ; cum tamen non desit calor, neq; sit diminitus, quin immo, vt aiunt adauctus: Quæ igitur causa? proculdubio quia calor febrilis non est vitalis, sed igneus, & biliosus, qui cum occuparit organa potentiarum, impedit, & corrumpit munera vitæ, quæ prius à calore vitali oriebantur, qui

prop-

propterea iuxta Philosophi doctrinam diminutus, expulsus, & dissipatus censendus est: neq; enim febrilis calor dici potest esse idem vitalis auctus: quoniam ieiunio quoq; vt diximus augetur calor, etiam in bene valentibus, qui tunc validam coctionem exhibet.

Decimo. Sexus non distinguuntur nisi causa maioris caloris in maribus, maioris humiditatis in fœminis: Quod & à pluribus doctrinæ Aristotelis locis planè colligitur, & communis assentitur Philosophorum sententia, & ratio ipsa suadet: quoniam mas & fœmina differunt ratione actiuitatis, & passibilitatis; calor vero actiua qualitas est, humiditas passiua. Ergo nisi dicamus sexus distingui à duabus qualitatibus vitalibus, minimè verò à qualitatibus Elementaribus, foreut temperamentum Elementare omnium virorum magis calidum sit, quam humidum; fœminarum verò magis humidum, quam calidum: quod omninò falsum esse, re ipsa, & sensu cognoscimus; inueniuntur enim fœminæ temperamento magis calido, quam humido, & viri magis humido, quam calido constare. Cuius varietatis temperamenti causa ad qualitates Elementares proculdubio referenda est: ad qualitates verò vitales sexus differentia. Quæ cum principijs Astrologicis optimè congruunt; à luminaribus enim, & eorum in signis, & quartis masculinis, vel fœmininis collocatione pendet sexus differentia, à cæteris verò erraticis, & fixis elementorum mixtio.

Dices calor ignis elicit pullos ab ouis, & alijs seminibus, reparat calorem vitalem in membris animalium frigefactis, ergo calor ibidem genitus vel reparatus igneus est. Respondeo; quoniam calor vitalis, seu dicam cælestis, & calor elementaris habent plures operationes communes, & similes, vt simpliciter lucere, calefacere, rarefacere, & alias; ideo ratione similitudinis harum virtutum, Sol producit ignem, & ignis vitalem calorem, cum hoc tamen discrimine; quod solis virtus, quoniam eminentior, latius patet, quam virtus ignis: nam ignis

non

non poteſt producere, ſeu melius dicam prouocare ad actum vitalem calorem, niſi in ſeminibus, in quibus videlicet præexiſtit potentia proxima ad ipſum vitalem calorem: item ignis reparat calorem in membris animalium refrigeratis pari ratione: neq; enim in lapidibus ſimilem calorem ſuſcitare poteſt, ſed neq; in ipſis viuentibus, quando per vltimum ſenium in eis extinguitur ſine paſſione vitalis calor; vt pote in quibus iam perfecta, & abſumpta eſt potentia, & virtus ſeminalis ad calidum vitale. At vero Solis lux (dico à chriſtallo congregata) per eminentem virtutem generat ignem ex vſtibili materia: deinde animalia, & plantas ex elementis. Cæterum dixi Solem, & ignem habere communes aliquas virtutes, vt lucere, calefacere &c. ſed addidi ſimpliciter: etenim deinde hæ virtutes longè differunt inter ſe, atq; præſtantiores ſunt, & latius patent quæ Solis, quam quæ ignis, vt exemplo iam declarauimus.

Dico quinto. Humiditas radicalis in viuentibus non eſt Elementum, neq; ab Elementis aſſumpta.

Prob. primo ſimili ferè ratione, quam pro calore ſupra attulimus. Vtraq; Bilis ſiccæ qualitatis eſt, vt ex Galeno diximus; attamen ſunt humores fluidi, & humidi: cuius contrarietatis cauſa eſt, quod temperamentum vtriuſq; Bilis elementare eſt, humeſcunt ratione humidi radicalis cæleſtis toto corpori communicatæ.

Secundo. Ex doctrina Ariſtotelis in opuſculo de longitudine, & breuitate vitæ, vbi inueſtigans propoſitæ rei cauſas, incipit à negatiuis: vt quod neq; maxima, neq; minima magnitudo: neq; plantæ: neq; ſanguine prædita: neq; exanguia: neq; quæ in terra: neq; quæ in mari, &c. Deinde à poſitiuis cauſis, dicens. *Oportet autem accipere quod animal eſt natura humidum, & calidum, & ipſum viuere tale. Senectus autem frigida, & ſicca, & quod mortuum.* Proponit igitur cauſas vitæ calidum, & humidum: mox de humido ſubdit. *Quapropter oportet non facile exiccabile eſſe humidum. Neq; rurſum*

paucum,

paucum, facile ſiccabile enim quod paucum. Concludit poſtea: *Quare oportet non ſolum copiam eſſe humidi, ſed hoc & calidum, vt neq; facile gelabile, neque facile exiccabile ſit. Eſt autem aliquibus quidem calidum pingue, quod ſimul facit non facile exiccabile, & non facile infrigidabile. Item oportet futurum eſſe non leuiter corruptibile, non excrementitium eſſe, interimitur enim quod tale, aut morbo, aut natura*. At quæſo, quæ conditiones ſunt hæc humidi, & calidi ſanè præclaræ? Num aliquo modo inueniri poſſunt in calido, & humido elementaribus? Quis non videt declarari præſtantiam quamdam, quę inter Elementa, & eorum qualitates inueniri minimè poteſt? Etenim Elementa facillime ad inuicem tranſmutantur licet ſummis qualitatibus prædita: atq; eorum qualitates alterantur, & corrumpuntur. Quomodo autem fieri poteſt humidum aqueum cum calido igneo non facile exiccari? atq; calidum cum humido aqueo non extingui, vt potius pinguedinem generent?

Dices: Quoniam hæ qualitates non ſunt puræ, ſed mixtæ ex alijs: ideoque temperatæ naturæ: quæcunq; autem temperata diuturniora. At quæſo ſi humidum temperatum eſt ſiccitate, nonne iam ad omnimodam ſiccitatem, atq; ad ſui deſtructionem propior erit? & ſi calor frigiditate temperatus, nonne ad extinctionem præceps? qualitates enim contrariæ iuxta poſitæ perpetuo inuicem pugnant, & quo intenſiores fuerint, eo robuſtiores ad diuturnitatem: & calor intenſior non erit excrementitius; quandoquidem excrementa ex inconcoctione, ſcilicet caloris imbecillitate cenſentur oriunda. Philoſophus tandem planè manifeſtat hoc humidum non eſſe Elementare, dicens: *Aquatilia autem greſſibilibus minus longè vitæ, non quia humida ſimpliciter, ſed quia aquoſa, tale autem humidum facile corruptibile*. Igitur aquæ humiditas facilè corruptibilis eſt: atq; his verbis ſe declarat loquutum ſupra, non de aquæ humiditate, ſed de præſtantiori.

Demonstratum igitur satis est, qualitates vitales animantium non esse Elementa, neque ab Elementis productas; remanet, vt perquiramus à quibus causis producantur.

Dico sexto, Qualitates vitales producuntur ab Astris, videlicet à Sole, & Luna, concurrente, quod non inficior, virtute causæ specificæ, vel quæ illius vicem gerat: Licet in generatione aliquorum animantium hanc virtutem specificam præordinent Astra iteratis præcedentibus circuitibus, vsquequo tandem eliciant calidum ipsum vitale.

Prior pars probatur primò auctoritate Philosophi ex tex. supra allegato 2. de gener. animal. cap. 3. quem doctores omnes ad hanc rem afferunt, sed qui opponuntur extorquent in alienum sensum.

Notandum verò semina quæcunq; esse de se mixta absq; adiecto fæcunditatis ad prolem, seu calorem vitalem, & vt mixta habere in se omnia quatuor Elementa, ergo etiam calorem igneum, præter potentiam ad vitalem: & quod ita sit: semina vel progressu temporis, vel alia de causa sterilia apparent, & fæcunditate carentia.

Ait ergo Philosophus. *Inest enim in semine omnium, quod facit vt fæcunda sint semina, videlicet quod calor vocatur: idq; non ignis, non talis facultas aliqua est, sed spiritus, qui in semine, spumosoq; corpore continetur, & natura, quæ in eo spiritu est, proportione respondens Elemento Stellarum.* Vult ergo Philosophus quod semina fæcunda sint ad prolem ratione eius, quod vulgo calor, ab ipso vero nobiliori nomine spiritus vocatur, quem incipiens à negatiuis, non esse ignem, neq; de illius facultate, seu natura; deinde ab affirmatiuis, sed respondere principio Stellarum, asserit absolutè: & profectò loquitur de eius esse, & constitui, non de relatione instrumentali. Quamuis igitur semina sint corpora mixta in genere seminis, immò etiam in genere, & specie mixtorum; tamen absq; hoc spiritu cælesti, qui calor vocatur, fæcunda esse

ad prolem nullatenus possunt. In his autem Philosophi verbis apparet expressa natura totius calidi innati, iuxta Medicorum doctrinam: *Sed spiritus*, inquit, *qui in semine spumosoq; corpore continetur*: nam spiritus calor est vitalis, vt dixerat; corpus autem fit spumosum ratione humidi radicalis, quod scilicet raritate fœcunda donatur.

Ex dictis autem colligit Philosophus, dicens, *Quamobrem ignis nullum animal generat, neque constitui quicquam densis, vel humidis, vel siccis videtur*. Ignis, inquit, non generat animalia, quæ nec constituuntur humidis siccis &c. videlicet qualitatibus Elementorum. *At verò Solis calor, & animalium*. Calor Solis, & causæ specificæ tantum habent principium vitale, *& non modo qui in semine continetur, verum etiam si quid excrementi sit, quamuis diuersum à natura, tamen id quoq; principium habet vitale*: ratione scilicet præcedentis coctionis.

At hercle profectò posset, ne clarius loqui Philosophus ad rem, & sententiam nostram? etenim ponit in Sole, & causa specifica principium vitalis caloris: & non modo in seminibus, verum etiam in excrementis, ad generationem videlicet spontaneam plurimorum animantium: itaquod etiam ab excrementis, & putri materia, immò, dico ego, ex ipsis Elementis Sol eliciat animantia, introducendo calorem suum fœcundum, ex quo emanat vita. Calor igitur vitalis neq; ignis est, neq; effectus eius: sed vt dixerat principium habet ab Astris, idest à Sole.

Idem Philosophus in 2. de gener. & corrup. tex. 54. perpetuum rerum ortum, & interitum; atq; alijs in locis plurimorum animalium generationem refert ad Solem, tanquam ad causam: At verò animalia calore vitali generantur: quo etiam perseuerante viuunt, & quo deficiente extinguuntur, vt habet idem Philosophus pluribus in locis: & omnes communiter fatentur: ergo &c.

Hippocrates, & Galenus asserunt morbos solui in contrarie

temporis qualitate: Cæterum si morbus soluitur ad salutem generatio est, quoniam coctione potissimum soluitur; at verò coctio à calore fit, quam sequitur nutritio, & mixti generatio. E contra si morbus soluitur ad interitum, corruptio est: ergo Sol per contrariam, quam affert temporis qualitatem generat, & corrumpit vitalem calorem: iuxta ea quæ habet Philosophus tex. alleg. *quod Sol adueniendo generat, recedendo corrumpit.*

Spontanei plurimorum animantium ortus, vt olerum, vermium, muscarum, piscium &c. nulla alia apparet causa, nisi Sol & Astra: Philosophus in 5. de Hist. animal. cap. 19. atq; alibi vermium generationem ad Solem refert, vel ad auram, vtiq; Solis calore & siderum virtute affectam.

Constat etiam à Sole generari ranas ex guttis aquæ, & puluere iam prius calefacto: item in stagnis de nouo cauis pisces: in terra ex altissimis foueis deducta olera & plantas; quę prçstat prius calefaciendo iteratis circuitibus; tandem inibi accendit vitalem calorem. Quo patet secunda pars Conclusionis.

Quod si dicatur: calorem Solis, & Siderum non differre ab igneo; redeunt omnes supra productæ rationes, & Aristotelis, atq; Galeni auctoritates.

Dico septimo. Humiditas radicalis cunctorum viuentium producitur à Luna, concurrente tamen virtute causæ specificæ, vel quæ illius vicem gerat.

Re ipsa apparet, plura aquatilia augeri, & pinguescere in augmento Lunæ: in decremento verò minui, & exiccari: at sane profectò non exiccantur, eo quòd minuatur humiditas aquæ ambientis: ergo ratione diminutionis humiditatis radicalis, quam in elementari regione suscitat Luna vitę, nutritionis, pinguedinis, atq; mixtionis fæcundam.

Sed hanc rationem reijcies asserendo huiusmodi aquatilia in pleniluniis ob Lunæ validam lucem vberiora venari alimenta ad saturitatem, quam sequitur augmentum, & pinguedo. At verò hanc obiectionem tangit, & reijcit Philosophus in 4. de

partib,

partib. animal. cap. 5. quem locum supra retulimus cap. 5. *Habent enim id*, inquit, *iam inde ab ortu natura, & plenilunijs vberius, & non quia per id tempus copiosius pascuntur, vt quidam putant sed &c.* Verum aduersarij quid nam remittent de Ostreis, alijsq; huiusmodi, quæ scopulis immobiliter inhærent? iam enim ad venandum egredi non valent, neq; propterea iuuare eis potest Lunæ lux validior, quo videant magis, & inueniant alimenta ad pinguedinem augendam.

Rursus quæcunq; ceduntur in augmento Lunę statim ad corruptionem labi, atq; ex eis generari vermes, caries, formicas, aliaq; animantia manifestum est: quæ è contra non apparent oriri, si illa cædantur in decremento Lunæ. Hoc autem argumentum est à Luna tribui viuentibus humidum fæcundum ad animantium prolem.

Item si verum sit, vt dixit Philosophus, quod homo & Sol hominem generat, atq; ita sidera saltem, vt causæ vniuersales concurrunt ad hominis generationem, quod etiam ex vniuersa Galeni doctrina patet: manifestum est, inter sidera adesse Saturnum, Iouem, Martem, & Venerem, quæ quatuor Elementorum naturam referunt in suis effectibus: deinde Mercurium, cui rerum species, & similitudines tribuuntur. Cumq; adsint etiam Sol & Luna, quibus inest summa vis in elementarem plagam, vt ostensum est supra, etiam ex Galeni, & Philosophi sententia, clarè patet ab ipsis produci illas duas principes in viuente qualitates, quæ sunt calor, & humiditas vitales. Nulla quippe emergit ratio, & distinctio philosophandi in astronomicis rebus, nisi dicamus has vitales qualitates ad Solem, & Lunam referri, ad alios verò Elementa, humores, & eorum qualitates: ad imagines tandem stellati Orbis partes corporis, vt docent omnes Professores, atq; re ipsa experimento comprobatur. Neq; enim apparet quemquam decumbere, nisi ipsa Luminaria infeliciter à maleficis circumueniantur: atq; prout afficiuntur, tales secundum naturam assidentium Planetarum

appa-

apparent morbi: sicut est videre in infra expositis Exemplis.

Tandem addo rationem apud me validissimam, qua demonstratur calorem, & humiditatem vitales non esse elementa, neq; ab elementis produci, sed omninò à nobiliori, & superiori agente. Quæ ratio deducitur ex doctrina Aristotelis in primo de ortu, & inter.tex. 83. Distinguit ibi Philosophus mixtionem à generatione, & corruptione, & partes miscibiles à generabilibus, & corruptibilibus, quod in his necessario contingat corruptio vnius, & generatio alterius: itaut sequi non possit generatio vnius, nisi præcedat corruptio alterius; in mixtione verò miscibilia non corrumpuntur, neq; omninò saluantur, sed remanent in potentia, atq; in ipsa miscibilia mixtum tandem resoluitur. Ad rem nostram: ignis non agit nihilq; producit, nisi aliud prius corrumpat, id quod ingeniosè obseruat Galenus loco supra citato: ignis enim, ait, assimilat passum sibi, non alijs. Cum igitur mixtio sit actio longè nobilior, quoniam per eam fit generatio nobilissimæ rei, vt est animal, & sine alterius corruptione; atq; in animali appareant genita tot munera, & partes eterrogeneæ, diuersæ scilicet, & contrariæ naturæ, & qualitatis, vt contemplatur Galenus; requirit omninò causam nobiliorem, & superiorem, quæ absq; eo quod corrumpat miscibilia, ipsa tamen decoquat, & vniat: hęc enim perfectio quędam est, & causæ perfectionem arguit: quæ perfectio & virtus inter inferiores quidem proximas causas inuenitur ratione virtutis seminalis; sed cum dependentia à concursu causarum Cælestium: at verò apud Cælestes causas eminenter: quoniam inferiores sine superioribus nequeunt omninò generare mixtum; at superiores habent hanc perfectionem independenter ab inferioribus, saltem quoad aliqua mixta; dico quoad aliqua; nam licet plura mixta, & animalia generare possint ex se vt supra diximus: hominem tamen Leonem, & alia generare non possunt sine homine, & Leone.

Et quonam modo poterit ignis excogitare vt eruditissimi

Galeni verbis vtar, siue dicam producere innumerabiles ferè proprietates admirandas mixtorum, sapidum, mineralium, animantium, & sensibilium? insuper & in ipsis tot eterrogeneas partes, & contrarias qualitates, & munera? ipse Sol & Luna cum cæteris Astris hæc non exhibent, nisi varijs, atq; diuersis ad inuicem congressibus: contrariorum enim contrariæ causæ, vt ait Philosophus, atq; diuersorum diuersæ, ad quæ ignis peruenire non potest omninò.

Satis ergo demonstratum est tum ex parte causarum, tum effectuum, vitalem calorem, & humiditatem radicalem, immò & proprietates mirabiles omnium mixtorum non esse Elementa, neq; facultates elementares, neque ab Elementis produci; sed omninò nobilioris, & superioris ordinis, & naturæ; atq; produci ab Astris, calorem quidem à Sole, humiditatem à Luna.

Hic exoriri potest quæstio circa id quod vulgo dicitur, videlicet calorem vitalem ali tanquam pabulo humiditate radicali; itaut censeatur humiditas absumi, corrumpi, & conuerti in ipsum calorem, & ipse actu calor successiuè continenter oriri, & generari ex ipsa humiditate perinde, ac ignis oritur ex corruptione vstibilis materiæ: atq; propterea fiat continua, veraq; generatio, & transmutatio de esse humidum ad esse calidum. Qui modus dicendi, & opinandi mihi non satisfacit, & repugnat principijs veræ Astrosophiæ. Ne vero capitulum hoc in prolixiora, vt par est, producatur.

Dico: Quod vitalis actu calor exit ad suum actum successiuè ex calore potentiali, seu virtuali præexistenti, non ex humiditate radicali: immò & ipsa humiditas radicalis exit ad actum ex præexistenti virtute, & potentia humoris.

Prob. primò. Omne quod actu fit præexistit virtute, & potentia, quæ virtus & potentia eiusdem est speciei, cuius est actus, qui fit: neq; enim ex virtualiter, & potentialiter frigido, vel humido fieri potest actu calidum, sed fiet actu frigidum vel

humi-

humidum, alias enim ex quolibet quodlibet fieri posset. Cæterum calor vitalis tàm actu, quàm potentia inhæret in humido radicali, tanquam in subiecto eiusdem ordinis, & naturæ scilicet nobilioris quam sint elementa, ex quibus duobus fit compositum illud quod calidum innatum vocatur. Atq; ita sequitur quod calor vitalis non exeat ad actum per veram generationem, & transmutationem humidi in calorem: sed cum prius existat potentia, & virtute, egreditur ad suum actum, cum quo etiam humiditas à propria potentia exit ad actum; vt sicut iunctæ sunt hæ qualitates in virtute, & potentia, quæ seminalis dici potest: ita sunt etiam iunctę dum habent actum, & sua exercent munera.

Secundo. Prob. In quolibet semine adsunt calor, & humiditas vitales: verum profectò non secundum actum, sed tantum potentia, & virtute; cum enim actu fiunt, generatur viuens: ergo quælibet potentia habet suum actum. Quod si dicatur in semine adesse tantum humiditatem, in qua accenditur calor vitalis, & ex qua alitur, & conseruatur; humiditas proculdubio tribuitur à fæmina, vt nomine materiæ pluribus in locis Philosophus insinuat: ergo foreut ex volatilium ouis, quamuis inibi non adsit maris semen, generari posse, atq; ali vitalem calorem, quod vsu non fit.

Tertio. Philosophus asserit humidiorem esse fæminam, & frigidiorem quam sit mas, id quod testatur Galenus lib. 2. de semine: ergo si calor vitalis alitur humido sequitur fæminam longioris esse vitæ quoad hoc, quam sit mas: tamen idem Philosophus de long. & breuit. vitæ cap. 3. affirmat mares in vniuersum longioris esse vitæ, quam fæminæ. Quod vero maior calor in mare, humiditas in fæmina sint qualitates vitales, supra demonstratum est. Immò amplius sequitur quod calidior esset fæmina: quoniam ex maiori copia pabuli maior oritur calor: vt patet in igne: cum tamen hi Doctores asserant frigidiorem esse fæminam.

Quarto.

Quarto, Morbi acuti differunt à chronicis, quod illi ex putredine humidi radicalis oriuntur; hi verò ex caloris imbecillitate, & quod ita sit, acuti sequuntur motum Lunæ, à qua humiditas radicalis tàm in potentia, quàm in actu administratur: chronici verò motum Solis à quo pari modo calor vitalis: ergo non videtur calor vitalis ali humido tanquam pabulo, quoniam differunt tàm in causis, quàm in effectibus, & non ægrotaret animal nisi ex infirmitate humidi, quo bene valente, semper vigeret calor.

Quinto. Patet hoc idem in cunctis simplicibus, seu proprietatibus mixtorum, quæ talem exhibent qualitatem actualem, qualem habent potentia; itaut virtute calefactiua calefaciant, humefactiua humectent &c. talis enim semper est actus, qualis potentia: alias ex quolibet quodlibet fieri posset, vt diximus.

Calor autem virtute, & potentia paratur à Sole per motum Directionis: humiditas verò à Luna per motum Progressionis, sicut latè demonstrauimus in Cęlesti Philosophia: igitur si non admittatur hæc opinio cessat fundamentum, & ratio horum motuum.

Cæterum quando Galenus in aliquibus morbis dicit humidum radicale absumi à calore, quoniam agit de morbis, vtique intelligit de calore extraneo, à quo putredo & corruptio fit, non de vitali à quo potius conseruantur, & reparantur omnes humores, & partes corporis, quæ successiuè abeunt, vt notum est, & patet in diuturno ieiunio, quo etiam extinguitur animal, nisi reficiatur.

Quod vero humidum vitale potius reficiatur, & conseruetur à calore vitali, innuit Philosophus in 4. Meteor. sum. prim. cap. 2. tex. supra citato. *Propter hoc enim*, ait ipse, *& sicciora fiunt, quæ putrescunt omnia, & tandem terra, & fimus. Exeunte enim proprio calido, euaporat quod secundum naturam humidum &c.* Igitur tantum abest calorem ali humido, vt potius humidum ipsum à calore reficiatur & conseruetur:

 adeo

adeoquod si extinguatur calor vitalis, humidum etiam radicale abeat & pereat.

Ex dictis autem sequitur primò, in quo nam consistat bona valetudo, quæ non in exquisito primarum qualitatum, & Elementorum eodem, quod congenitum, & innatum est, temperamento, vt diffidentes Authores affirmare solent: hoc enim pacto leui admodum de causa ægrotaret animal; & aduersatur doctrinæ Galeni, Hippocratis, & Aristotelis, qui calorem & humiditatem vitales affirmant successiuè augeri vsq; ad ætatem vigoris; deinde minui vsq; tandem quo penitus extinguantur: immò & augeri, & minui in temporibus Anni: re ipsa quoq; constat hominum temperamentum in vitæ decursu notabiliter mutari, scilicet per ætates, quæ qualitate differunt inter se: & mutatur etiam ob alias causas. Cum enim Elementorum mixtio infinitis modis ex diuersitate graduum qualitatum & quantitate vniuscuiusq; elementi contingat; vnde oritur omnimoda varietas temperamenti inter homines: si omnes fruuntur bona valetudine sub diuersis mixtionibus, nihil obstat, quod idem homo non possit benè valere sub diuersa mixtione, & alteratione innati temperamenti: iam enim elementa compatiuntur inuicem infinitis penè modis, & conueniunt in mixtum, dummodo summos gradus suarum qualitatum deponant. Verum bona valetudo stat in plena libertate agendi ipsius caloris natiui, & conseruatione humidi radicalis, cuiuscunq; gradus ambo sint; qua libertate sua exercent munera, & conseruant cocta in mixto quatuor Elementa, cuiuscunq; gradus, & quantitatis & hæc ipsa sint. Quod si contingat vitales qualitates non posse fungi suis muneribus quod pluribus de causis contingere potest, exoritur cruditas, inde putredo, & calor extraneus, quæ soluendo mixtum ad interitum ducunt.

Secundo. Deducitur, quod præ cunctis medelis ieiunium præstet bonam valetudinem, & tàm in ægris, quàm in benè valentibus ad conseruationem: Ieiunio enim augetur calor vitalis,

talis, quo sua munera liberè, & validè exercet: præstat optimam coctionem; absumit cruditates, & putredinem: restituit, & conseruat bonam valetudinem.

Tertio. Apparet pulcherrima ratio, & causa putrefactionis, quæ opponitur coctioni: animantia enim, vt habet Philosophus, statim ac amittunt proprium calorem, quem nos cælestem vocamus, putrescunt, & intereunt, quamuis Elementa in gradu remisso adhuc per longum tempus compatiantur inuicem, vt contingit in lignis cæsis, quæ permanent in ædificijs centenis Annis, antequam marcescant.

Quarto. Apparet ratio, quare Galenus libro 6. de vsu partium, & Philosophus cap. 2. de respirat. affirment vitalem calorem in corde suam sedem obtinere: Cum enim Sol præ cunctis partibus corporis effingat Cor, & eidem præsit, vt Professores testantur: quoniam Sol producit vitalem calorem, consequens est, vt in eodem corde ipsum calorem inserat, & collocet, tanquam in primo principio, à quo deinde communicetur omnibus corporis partibus, vt Medicæ Artis Professores testantur.

Quinto. Colligitur, in febribus chronicis incumbendum esse ad subleuandum calorem vitalem, quoniam sequuntur motum Solis; in acutis verò ad humidum radicale, quia sequuntur motum Lunæ; in peracutis ad vtrumq; quia sequuntur motum vtriusq; luminaris circa terram.

Sexto. In Decubitu si appareat malè affici Solem, innuit ægrotare calorem, si Lunam humidum; si vtrumq; vtramq; qualitatem.

Tandem si sic loquamur, & censeamus, pulchrè saluantur omnia, & diluuntur difficultates: alias ad inextricabiles implicationes delabimur, inter quas si quispiam inuolutus constanter manere velit, valeat vtique.

In Decubitu distingui moderatores vitæ, seu qualitatum vitalium à causis morbi.

CAP. XX.

IAM à nobis demonstratum est differre secundum naturam qualitates vitales à qualitatibus Elementorum, eoq; magis à qualitatibus putridis, quæ morbum inferunt.

Et qualitates quidem vitales quoniam incumbunt ad munera potentiarum vegetantium, si plena libertate donentur, optimam valetudinem viuenti conciliant; quod si à putridis qualitatibus occupentur, & comprimantur, illicò morbum admittunt.

Quapropter si hæc qualitatum distinctio inuenitur in subiecto passibili: necessarium omnino est, quod etiam ponatur in ipsis causis efficientibus.

Qualitatum vitalium causæ cælestes à Professoribus vocantur Moderatores, Significatores, Prorogatores, Hylech, alijsq; nominibus: Qualitatum verò putrescentium causæ vocantur absciſſores, aneretæ, atq; aliter.

Item quemadmodum in subiecto passibili distinguuntur qualitates perfectæ mixtionis à qualitatibus putridis: ita inter cælestes causas, sidera benigna, quæ sunt Iuppiter, & Venus efficientes perfectam mixtionem differunt à maleficis, qui sunt Saturnus, & Mars, qui putredinem suscitant.

Tandem sicut in corpore passibili viuentis distinguuntur quatuor humores, atq; etiam corporis partes, & membra, ita & in Cælo singulorum humorum, & corporis partium suæ ponuntur causæ de quibus dicemus infra.

Sed iam iuxta propositum declaremus methodum statuendi vitalium qualitatum moderatorem, quem si Ptolemæus docet in natali constitutione, nos assumemus etiam in Decubitu:

Neq;

Neq; enim in Decubitu de morbi qualitate, & exitu alio modo vaticinari possumus, nisi respiciendo ad quem pertineant qualitates vitales: Deinde qualitates morbi.

Praeferendus sane est, inquit Ptolemaeus *in diurnis genituris Sol, si in Aphetecis locis repertus fuerit.* Primò igitur obseruandum an constitutio sit diurna, vel nocturna: Et diurnum quidem tempus est à principio Crepusculi Matutini, vsq; ad dimidium horæ tantùm post verum Solis occasum: nam licet Crepusculum Vespertinum diutius producatur: tamen quoniam Sol mox decidit in sextam domum, & notabiliter abscondit lucem, illico deponit omnes vires, quamuis adhuc luceat.

Item in Crepusculo Matutino cauendum, quod si tunc Luna plena, vel magna luce fruatur, itaquod in Horizonte splendore suo superet adhuc initium lucis Crepusculi Solis: ipsa Luna præualet item dominando, vt dicemus: & Sol luce Crepusculi nisi superet lumen Lunæ in Horizonte non ingreditur dominium temporis: quare in exordio Crepusculi prudenter iudicandum est.

Nunc ergo de die si Sol possideat loca hylegialia, proculdubio fit vitæ moderator. Loca autem hylegialia sunt Domus I. XI. X. IX. & VII. scilicet loca illa, quæ efficaces radios habent cum Horoscopo.

Circa XI. Domum item cauendum, quod non videtur fieri hylegialis, nisi à medio vsq; ad cuspidem: etenim à medio incipit primus radius, qui est semiquadratus ad Horoscopum. In hoc tamen parendum est experimentis.

Quod si Sol non possideat locum aliquem hylegialem, spectanda est Luna, quæ si libera sit à Solis iubare, itaquod luceat, maneatq; in loco hylegiali ex enumeratis, fit vitæ moderatrix. Si neq; Luna, tunc ait Ptolemęus, obseruandus est Planeta dominans in præcedenti coniunctione Luminarium, in loco Solis, & in Horoscopo, qui si tria ad vnum horum locorum suffragia, vel plura obtineat, possideat verò locum hylegialem, fit Hylech:

quibus

quibus addendum, nisi sit maleficus, qui ad vitam moderandam nulla ratione vocari potest. Tandem si neque hoc accidit, Horoscopum accipiamus.

Noctu verò Lunam consulimus, si sit in loco hylegiali, deinde Solem, ait Ptolemæus, cum verò Sol de nocte non possit lustrare loca hylegialia supra terram, proculdubio infertur Ptolemæum in hoc loco loqui de Sole in Crepusculis constituto, in quo casu obseruandum quod supra monuimus circa competentiam lucis Lunæ, & Crepusculi Solis, vt nimirum validiorem sumamus.

Si verò neutrum luminarium aptum sit ad moderationem vitæ; Planetam dominantem in loco Lunæ, vel præcedentis oppositionis, vel Partis Fortunæ: si tamen beneficus sit, & in loco hylegiali consistat, sumere oportet. Tandem ipsam Partem Fortunæ si supra terram, & in loco hylegiali maneat: quod nisi contingat ad Horoscopum confugiamus.

Subdit quoq; Ptolemæus si ambo luminaria, & gubernator locorum iuxta conditionem supradictam, inueniantur in locis hylegialibus; ex omnibus, id quod maioris roboris est in figura, sumi debet.

Hæc est methodus eligendi vitæ moderatorem, quam ponit Ptolemæus obseruandam in natali: attamen in Decubitu quodcunq; contingat de vitæ moderatore, semper etiam obseruandi sunt Sol, Luna Horoscopus, & Pars Fortunæ vbicunq; inueniantur; maximè verò luminare conditionarium, quod semper & in omnibus maximam, & summam potestatem sibi assumit. Item Sol semper significat vitalem calorem, & Cor: Luna humiditatem radicalem, & caput. Horoscopus corpus, & eius affectiones. Pars Fortunæ nutritionem, & eius potentias.

Ratio cognoscendi qualitatem morbi in genere ex Decubitu.

CAP. XXI.

Electo iam vitæ moderatore: primò ad illum contemplandum accedamus: deinde conuertamur ad luminare conditionis; atq; tandem ad hos omnes, Solem, Lunam, Horoscopum, & Partem Fortunæ, cuius contemplationis hæc sit ratio: vt cognoscamus familiares, & dominantes in eis Planetas, sidera fixa, & signa penes quæ consistunt tum ipsi moderatores, tum dominantes Planetæ: rursus Anni tempus, Lunæ erga Solem respectum, mundi Quadrantes, naturam vniuscuiusq; & ad Solem habitum dominantium Planetarum, tum deniq; constitutionem præcedentis nouilunij, si Decubitus sit diurnus, si verò nocturnus constitutionem elapsi Plenilunij. Ex his enim omnibus colligemus qualitatem morbi in genere. Ita ferè procedit Ptolemæus lib. 3. cap. 15. & 16. inuestigans corporis qualitates, & morbos.

At verò cum hæc non omnia æquales vires obtineant, primum locum tribuemus Planetis, qui familiaritate quaq; cum moderatoribus iuncti sunt, deinde fixis circumsistentibus, mox Quartis Zodiaci, & Mundi, & erga Solem, tandem Planetis, qui dignitatem possident in locis moderatorum.

Ex horum namq; natura, & qualitate colligitur qualitas, & natura morbi in genere: Etenim Saturnus suscitat frigidas qualitates, Mars calidas vrentes, Venus humidas, Iuppiter calidas, vel mixtas, Mercurius prout cum cæteris iungitur. Rursus Saturnus præest atræ Bili, Iuppiter sanguini, Mars flauę Bili, Venus Pituitæ, Mercurius menti. De fixis quoq; & de Quartis mundi, Anni, & erga Solem, simili modo ratiocinandum est.

Cæterum quando plures concurrunt secundum qualitates, & natu-

naturam contrarij, robustiores, ad quos maximè spectat morbi qualitas, consulendi sunt.

Item obseruandæ quinq; Planetarum inter se familiaritates, & eleuationes, etenim qui super alios eleuantur, ita præualent in ipsos, vt valde comprimant eorum vires, & qualitates, immò, & alterant eorum naturam, & boni quidem malorum qualitates, vt minus noceant, mali vero labefactant, & corrumpunt bonorum vires, vt non prosint, immò potius obsint, sicut infra latius dicemus.

De Stellis fixis verò ex illustrioribus ratio non nihil diuersa: nam omnes siue benignæ, siue maleficæ cum Planetis maleficis augeant eorum vires, & eo magis corrumpunt; cum Planetis beneficis ferè semper augent eorum bonitatem maximè cum Ioue: at cum Venere, quoniam tenuior est, Stellæ Martiæ, vt Antares, Syrius, Aldebaram, & similes non nihil officiunt: Quod si aut Iuppiter, aut Venus à maleficis opprimantur fixæ illustres eo magis obsunt.

Quoad signa Zodiaci obseruandæ Triplicitates: nam ignea calida est & arida, Aerea calida, & humida, Aquea humida & frigida, Terrea sicca & frigida.

Illud quoq; accurratè in genere contemplandum est, cum scilicet vel conueniunt similes virtutes agendi, vel contrariæ, vel eiusdem sectæ, vel diffidentis.

Virtutes similes sunt, exempli gratia Mars cum Sole, cum fixa Martia, cum ☉ aucta, & plena luminibus, vel combusta, cum ☼ vel Luna in quarta tum Zodiaci, tum in Mundo æstiua, vel in signo igneo. Similiter exempli gratia ♄ cum ☉ exigua luce fulgente, maximè cum decrescit, cum vtrolibet luminarium in Quartis autumnalibus, vel signo terreo, atq; similiter de cæteris. Tunc enim augetur in immensum virtus actiua ad ostendenda decreta suæ naturæ.

Contrariæ virtutes, exempli gratia si ♂ cum ♄ maneat, vel cum ♀ vel ☉, & maximè decrescente exigua luce: vel cum

lumi-

luminaribus per Quartas hyemales ambulantibus, & in signis aqueis. Saturnus è contra cum ✵, vel ● crescente ad plenitudinem; vel cum luminaribus apud Quartas æstiuas & vernales inuentis &c.

Eadem secta contingit vel inter Planetas omnes masculos, & apud signa masculina, & signa suæ mutuæ dignitatis, & de die supra terram, de nocte infra: Vel inter Planetas fæmininos, signa fæminina, suę mutuę dignitatis, & de nocte supra terram, de die infra.

Secta dissidens, si masculini cum fæmininis, & in signis sui mutui casus, vel detrimenti, vel diurnus de die infra terram de nocte supra, vel nocturnus de die supra terram, de nocte infra.

Quę cuncta radijs quoq; alterantur, nam radij hostiles contrarij sunt, & excitant ad intemperamentum: benigni conciliant temperamentum, & inter omnes quoscunq;

Item quoniam plures morbi affinitatem quandam ad inuicem habent, ratione loci primę originis, vel humoris, vt si principium fiat vel in Pulmonibus, vel in Epate, vel in corde, vel in sede Bilis, vel lienis &c.: vniuersale pręceptum sit, quicunq; significantur morbi, si Luna discedit à Sole, idest augetur lumine: morbus à centro ad circumsistentes partes dirigitur; si vero Solem petat, idest minuatur lumine ab exterioribus circumsistentibus partibus ad interiores. Hoc idem sequitur ex Quartis Zodiaci, & Mundi ascendentibus & descendentibus, vnde augmentum, & decrementum lucis oriuntur. Et ratio euidens est, quoniam vt alibi demonstrauimus, lux augmento humiditatem, decremento siccitatem suscitat: humiditas autem aucta in tumorem, & ambitum se se pandit, videlicet à centro ad ampliorem sphęram: at è contra si minuatur humiditas quod superest à circumstantibus locis ad interiora se se reuocat, & ad centrum.

Rursus cauendum quod Ptolemęus lib. 1. cap. 7. exponens quid valeant configurationes erga Solem, de ♄ ♃ & ♂ dicit

 quod

quod matutini vsq; ad primam stationem humoris plurimum habent; inde vsq; dum oriuntur de nocte calefaciunt: hinc ad secundum stationem desiccant: in reliquo frigefaciunt: Cum tamen supra exposuisset naturam absolutam vniuscuiusq; vt quod ♄ natura sua frigidus & siccus est &c. Nunquid igitur Ptolemæus repugnantia docuit, an verò ♄ & frigefacere, & calefacere, atq; humectare, & exiccare simul, & vna valebit, atq; similiter cæteri? Respondeo primo, Ptolemæum cap. 7. loqui de maiori, vel minori gradu qualitatis. Secundo, dico quod erraticę propria natura circulatione in Zodiaco respiciunt pura prima corpora, vocata Elementa: at vero circuitu illuminationis, idest circa Solem producunt 4. primas qualitates peculiares mixtorum, quæ alterius sunt generis. Tertio, dico quod exempli gratia humiditas dicitur sicca, si appareat viscosa contumax, & insolubilis: item calor vitalis, in cunctis viuentibus, quoniam procedit à Sole, vt suo loco demonstrauimus semper calidus est ad vitam præstandam, attamen viperæ, & plurima animantia venenata excessu frigoris necant, atq; similiter in cunctis: Saturnus igitur præbet etiam calorem, sed comparatione ad Solis Iouis, & Martis calorem, frigidus est; exhibet & humiditatem, sed componata ad Lunam, & Venerem sicca est: item calor ♄ excitat febrim, quæ comparatione ad ♂ frigida est &c.

Signorum Cælestium proprietates è rebus inferioribus, quibus referuntur deductæ.

CAP. XXII.

ARIES animal mediocris magnitudinis, terreste, mansuetum, non est vorax, paruam habet vocem, & acutam, tenuem leuemq; carnem, motum agilem, vires debiles, capite impetit, est parum fæcundum; lepra, vel scabie corripi solet, & morbis capitis. Hoc ergo signum morbos

in

in capite indicat, vt habet Hermes Trismegistus, Phrenitim, Lethargum, aufert loquelam, & vires corporis, ciet dolores capitis, pulsus tenues, & inordinatos, inappetentiam: Cumq; sit signum igneum, & Martis domus, mouet Bilem flauam ad tertianam febrim &c.

Taurus animal magnum, domesticum quidem, sed robustum, habet vires in collo, motum tardum, sed firmum, & ęqualem, paruam fæcunditatem, non est vorax: habet paucam, sed grauem, & validam vocem; carnem firmam, & duram: ęgrotat sæpe contagio, & gutturis, & linguæ affectibus. Quapropter hoc signum suscitat lues, gutturis, & linguę morbos, aufert gustum, & loquelam: è contra infert inappetentiam, pulsus elatos, & inordinatos: Cum vero sit signum terreum, mouet atram Bilem ad febrim quartanam, vel diuturnos morbos: & quia domus Veneris præbet causam ex incontinentia omnis generis &c. Est signum mutilum; quare significat Capitis præcisionem, maximè ob vicinitatem Capitis Medusæ. Item efficit gibbum, & membrorum superiorum contorsiones.

Gemini signum paruum, humanum, duplex; habet brachia, & humeros, pulchram vocem, sermonem, & sensum intelligentiæ: Quare infert delirium Epilepsiam, Apoplexiam, prosternit vires, & pulsum: cum verò sit signum duplex, sæpe sæpius recidiuas minatur, & morbi multiplicitatem: tandem quia signum aereum, mouet sanguinem ad omnes species febrium.

Cancer animal paruum, aquatile, debilissimum: habet crustam, sub qua magnam humiditatem: est fæcundissimum; mouetur tardè & retrorsum: ægrotat humoris putredine, sequitur augmentum, & decrementum Lunæ; nullam habet vocem: est deforme: non habet sanguinem. Quare hoc signum infert tenues febres ex nimia humiditate, mouet Pituitam ad febrim quotidianam, fluxum ventris, affectiones thoracis, pectoris, & ventriculi: efficit quoq; morbos crusta tectos, nimirum ex

Pituita corrupta, iuxta Galeni doctrinam: atq; ex huiusmodi morbis deformitatem. Nonnunquam relinquit cruditates, & putredinem ad recidiuas, vel post aliqua tempora ad reditum similis morbi iuxta Lunæ conuersiones. Est signum frigidum, & humidissimum. Cumq; Cancer præsit manibus, & digitis infert chyragram.

Leo animal terrestre magnum, & latum in parte anteriori, & dorso, exile in posteriori, calidissimum, vorax, viribus robustissimum; habetq; arma scilicet dentes, & vngues teterrimos: est parum fæcundum: rugitum pro voce horrendum emittit; laborat febre. Hoc igitur signum infert morbum circa Cor, præcordia, & dorsum; cum verò sit signum igneum mouet validissimè Bilem flauam: efficit Pleuritim, Cardiacam, febres tertianas vrentes, dorsi, & spinæ dolores, infert æstum magnum, sitim inextinguibilem, vigilias, corporis agitationes, sine requie. Significat etiam voraces morbos ex incensa flaua Bile, ciet vomitum.

Virgo signum magnum, pulchrum, humanum, mansuetum, partim aereum, propter alas, quas habet, partim terrestre, ideoq; signum duplex, seu commune, præsefert gratam vocem, & eruditionem: sterile prorsus est: Hoc signum habet ventrem superiorem. Producit vero febres tardas, & leues, sed diuturnas; suscitat mentis ægritudines vt comitialem, stultitiam; Hypocondriorum, & ventris affectiones, tormina, fluxum, dissenteriam, ciet Bilem atram ad febrim quartanam vel ad mixtam diuturnam: infert recidiuam, & morbos mixtos.

Libra signum paruum, & licet inanimatum, & inhumanum, attamen ad hominum vsum assumitur libra: sterile ad prolem, non præsefert vocem, vel pulchritudinem, sed æquitatem, & vniformitatem quandam: habet ventrem inferiorem, & renes superiores, idest eorum principium: & in genere significat omne id quod ab vno principio in plura similia, & æqualia capita discinditur: vt lepram, & quæ minuta vitia æquali similitudine

tudine ad cutim exeunt: est signum aereum, ideoq; mouet sanguinem ad omnes febres: & quia domus Venenis praebet causam ex intemperantia omnis generis.

Scorpius, signum in Caelo magnum quidem; sed animal in terra paruum est, deforme, venenosum, crustatum, humidum, & frigidum: est faecundissimum. Hoc ergo signum in vniuersum significat quicquid humidum à pluribus principijs in vnum confluit, vt contingit de eius veneno ad aculeum caudae: ideoque flumina, renes inferiores, ipsa pudenda, & vrinam: ex morbis qui è pluribus ramulis in vnum conueniunt caput, vt est Anthrax, Erysipelas, Bubo, Glandulae &c. & ex his deformitates: cumq; sit signum aqueum mouet Pituitam ad febrim tertianam & saepissimè duplicem, sed cum nimia putredine. Significat etiam venenum, & omne genus contagionis & luis. Tandem quoniam hoc signum habet Cor nomine Antarem, fixam fulgentem martiam, saepesaepius affert passiones cordis, vtiq; ex qualitate venefica.

Sagittarij signum à Centauro sagittam per arcum tendente describitur: itaut partim beluam, partim hominem in habitu pugnandi referat: ideoq; suscitat morbos duplices, & mixtos, difficillimè cognitionis, qui modo spem salutis ostendant, mox in grauiores degenerent. Est quidem signum igneum, quo mouet Bilem flauam ad febrim tertianam; tamen quod nouissimum Autumni, cum eadem Bile atram commiscet in diuturnitatem, & perniciem. Cum verò vna parte referat humanam figuram, laedit mentem, affert Apoplexiam, Epilepsiam, & affines. Dominatur coxis, & natibus, quas in febribus dolore, & virium infirmitate sauciat. Est signum sterile.

Caper animal terrestre, mansuetum, mediocris faecunditatis, non multum differens ab Ariete, & eius proprietatibus nisi tantum quod maiori & siccitate & frigiditate pollet. Est signum mutilum, terreum, mobile: praeest genibus, & ob frigiditatem conducit valde ad Hydropem, recidiuas, & diutur-

nitatem morbi: item aufert membrorum inferiorum contorsiones vt claudicationes &c.

Aquarius, signum humanum, & licet emittat flumen, attamen est signum aereum, fixum, natura frigidissimum, & humidum; soletq; quod aereum, & sanguineum est, in aquam, & crudam pituitam conuertere: pręest tybijs, est signum modicę fęcunditatis.

Pisces signum aqueum fęcundissimum, humidum, & frigidum: nullam habet vocem: sed magnum timorem. Significat ea, quę ex copia humiditatis generantur, eadem ferè, quę Cancer, & Scorpius, nisi tantum quod non tegit crusta; quare minus graues huius generis morbos, sed maximè infert fluxum ventris, ex corrupta vt plurimum pituita: cumq; sit signum duplex, miscet sępe sępius plures morbos in vnum.

Notandę verò sunt cęterę quoq; imagines omnes, prout congrediuntur in circulis positionum cum signis: inferunt enim cum ipsis vbi congrediuntur suas proprietates, & validissimè, vt fixę martię augent ęstum, & feruorem febrium: venereę inferunt qualitates virulentas; mercuriales, phrenitim &c. immò vnaquæq; iuxta suas proprietates superaddunt, vt Canes rabiem, Orion furorem, Arcturus fugam, Azimech victum, & Pharmaca obfutura: Caput Medusæ lethales incisiones, & vnitatis diuortium: Hydra, & Ophiucus qualitates virulentas, atq; similiter de cæteris.

Tandem fixæ obscuræ, & Galaxia perpetuò respiciunt oculos, inferuntq; vel plagas à percussione, & igne, vel ab humore corrupto morbum, & orbitates, seruatis quæ docet Ptolemæus lib. 3, cap. 16.

Has notauimus proprietates in signis; quod si quis attentius ea contempletur, alias etiam plures inueniet, quas prudentiæ lectoris relinquimus.

Humores, & membra corporis, quibus nam Planetis, Signis, & Domibus subijciantur.

CAP. XXIII.

ERRADUNT passim Authores, & partim exponit Ptolemæus lib. 3. cap. 16. nihilominus quoniam nos ab Authoribus in multis dissidemus, nostram placuit vulgare sententiam, suis rationibus fultam, vt quisque, quam sibi magis probauerit sequatur: exempla tamen, & rationes euidentissimæ partem nostram tuentur.

Apud Ptolemæum sic habemus. *Saturnus praeest auditui dextro, vesicæ, spleni, pituitæ, & ossibus.*

Iuppiter tactui, pulmoni, arterijs, & semini.

Mars auditum sinistrum possidet, renes, venas, & pudenda.

Sol visui imperat, & cerebro, cordi, & neruis, & denique dextris omnibus.

Venus in olfactum, hepar, & carnem dominium exercet.

Mercurius, sermonem gubernat, & menti rationiq; præsidet, linguæ etiam, felli, & sedi.

Luna gustui, & gulæ, stomacho, ventri, vuluæ, & sinistris omnibus.

In primis ergo separando corpus in partem dextram, & sinistram, tota dextra subijcitur Soli, sinistra Lunæ. Rursus ex primis quatuor humoribus ♄ dominatur atræ Bili, Iuppiter sanguini, Mars flauæ Bili, Venus Pituitæ, Sol calori vitali, Luna humiditati radicali, Mercurius menti: Ex partibus internis Sol cordi, cerebro visui, & neruis: ♄ lieni, & ossibus: ♃ Pulmoni & Arterijs: ♂ renibus, venis & pudendis: Venus Hepati & pudendis: ☿ linguæ.

Caput ad signum ♈, & primam domum, & ♂; at verò ratione diuersarum potentiarum, quæ in eo resident ad plures Planetas refertur: nam Cerebrum ad ☉, ☽, & ☿, oculorum dexter

ad

ad Solem, sinister ad ☉. Aurium dextra ad ♄ sinistra ad ♂. Olfactus ad ♀: lingua, & frons ad ☿. Os & guttur ad ☉. Tota facies ad Horoscopum., & luminaria, maximè conditionarium.

Collum ad ♉, & XII. domum, & ♀.

Humeri, & brachia, & Thorax ad ♊, XI. domum & ☿.

Pectus, ventriculus, & manus ad ♋, X.domum & ☉.

Dorsus, & spina, Cor & præcordia ad ♌, IX. domum, & ☉

Intestina ad ♍, VIII. domum, & ☿.

Renes superiores, & venter exterior ad ♎, VII. domum, & ♀.

Renes inferiores, & pudenda ad ♏, VI. domum, & ♂, Quamuis pudenda ad ♀ quoq; referantur.

Coxæ & nates ad ♐, V. domum, & ♃.

Genua ad ♑, IV. domum, & ♄.

Tybiæ ad ♒, III. domum, & ♄.

Pedes ad ♓, II. domum, & ♃.

Authores verò communiter omnes etiam prisci quoad domus. Caput referunt ad primam domum, Collum ad secundam, Brachia, & humeros ad tertiam, & sic deinceps.

Rationes verò, quæ nobis suadent ordinem à communi sententia conuersum quoad domus.

Prima est. Quod sicut similis est quadrans ad Ariete, ad Cancrum Quadranti ab Ortu ad Culmen, etiam de communi sententia, & probatum etiam est supra, & alibi optimis rationibus, ita similes sunt in effectibus, & significatis.

Secunda. Sicut ordo signorum ab ♈ ad ♉ & ♊ & reliqua, ratione ordinis motus Astrorum in Zodiaco, significat ordinem membrorum: ita ratio postulat, vt ordo motus conuersi vniuersalis ab Ortu ad Meridiem, & Occasum, ordinem conuersum seruet in significandis membris.

Tertio. Sicut ordo motus alimenti ad membra, & partes corporis procedit à capite ad gutturem, pectus, ventriculum, intestina &c. iuxta ordinem motus Astrorum in signis, quibus

refer-

referuntur ipsæ corporis partes: ita eadem membra motus alimenti omnino referenda sunt ad cæli Domus secundum ordinem motus Astrorum per ipsas domus, qui fit ab ortu, ad meridiem occasum &c. itaut prima domus præsit ori; XII. gutturi: XI. pectori &c.

Quarto. Sicut partes nobiliores subijciuntur signis nobilioribus borealibus, in quibus viget calor, & imperant australibus, quo modo partes corporis superiores imperant inferioribus: ita ratio postulat, vt etiam subijciantur domibus nobilioribus diurnis in quibus viget calor &c. Aristoteles agens de longit. & breuit. vitæ, circa finem vltimi cap. ait, *Superiorem corporis partem esse calidam, inferiorem verò frigidam*, illa ergo subijcitur hemispherio diurno, hæc nocturno.

Quinto. Decima domus significat actiones, ergo tribui debet partibus principalibus actiuis, sicut sunt pectus, præcordia, immò & manus, quibus vniuersa operamur &c.

Tandem effectus habet semper similitudinem ad suam causam etiam æquiuocam; ergo præter supradictas similitudines, hemisphærium superius ratione situs respicit superiores corporis partes, inferius verò inferiores.

Quæ sanè rationes validissimè probant.

Difficultates in hoc capite emergunt notabiles. Primo, Quoniam dissentiunt inter se signa, & Domus ad significandas corporis partes, & rarissimè accidit quod conueniant: tunc quænam significatio erit obseruanda? an in Zodiaco, an in mundo?

Secundo, Quando vitæ moderator à maleficis læditur, non quidem corpore, sed radijs, tunc quodnam signum, vel quæ domus sumenda est? an moderatoris, an maleficorum?

Ad hoc secundum patet responsio ex Ptolomæo lib. 3. cap. 16. vbi agit de vitijs, & morbis corporis, asserentes in Horoscopo, qui corpori præest, & eius temperaturæ, sicut superiori cap. docuerat, significari partem corporis è signo Zodiaci ibidem inuento. Rursus ibidem paulo infra perpendit fixas nebu-

losas circa luminaria ad oculorum vitium & morbum inferendum. Igitur à loco moderatoris, non à loco malefici. Attamen censeo non despicienda esse loca etiam maleficorum, itaut aliquam mutationem in significandis membris affectis declarare minimè possint; vt potè à quibus morbi qualitas ducit originem.

Et sanè quidem in hac re non modica apparet tum à ratione, tum ab exemplaribus difficultas.

Vt autem ad partium, & humorum cognitionem cautè procedamus, Primo oportet distinguere Quadrantes tum Zodiaci, tum Mundi: nam primus Quadrans respicit Caput, Collum, Humeros, Thoracem, & Brachia: inter humores sanguinem: hic enim Quadrans calidus, & humidus est. Secundus Quadrans habet Pectus, Manus, Ventriculum, præcordia, & intestina, inter humores Bilem flauam. Tertius, renes pudenda, inferiorem ventris partem, nates, coxas, & Bilem atram. Quartus, Genua Tybias, Pedes, & Pituitam.

Secundo, Diligenter inuestiganda est conspiratio maleficorum, erga quem moderatorem se gerat: atq; ab eodem moderatore sumenda pars corporis laboratura.

Tertio, Si plures moderatores in diuersis Zodiaci, & Mundi locis inuenti à maleficis lædantur: primò considerandum erga quem moderatorem maior sit maleficorum conspiratio, & quis illorum sit conditionarius; eius enim locus primo accipiendus est, deinde miscendum: vt si recedamus à locis vnius, accedamus ad loca alterius.

Quarto, Quando dissentiunt signa, & domus; Primo respiciendum in quo genere familiaritatum lædatur vitę moderator: nam si in Zodiaco, locus è signis accipiendus est; Si vero in Mundo à domibus. Quando accidunt familiaritates in vtroq; genere permiscendum pari supradicto modo.

Quinto, Tandem sciendum vulnera, quæ ab extra violenter infliguntur quoad partes corporis, sequi primum domicilia

cæli,

cæli, tum deinde etiam signa: nam quoniam plagæ ab extra veloci motu imponuntur, arguunt causam veloci motu progredientem, sicut est motus vniuersalis circa Mundum. At verò in morbis partes corporis, primum sequi Planetas, & Signa; deinde mansiones circa Mundum. Nam omnes morbi originem ducunt semper à primis quatuor humoribus, & affectionibus internarum partium, quæ non ex templo alterantur, nec afficiuntur: quare arguunt motum diuturniorem per Zodiacum.

Ex Decubitu morbi species, & cui humori, & parti corporis inhæreat quomodo cognoscatur.

CAP. XXIV.

DATO Themate decubitus primo contemplabimur familiaritates Planetarum erga Luminaria Horoscopum, & Partem Fortunæ, & maximè ex his conditionarium, vel cui vitæ moderatio debetur iuxta supra expositam methodum.

Secundo. Ex familiaribus eos qui maiori robore præ cæteris præstant tum ex maleficis, tum ex beneficis, & potissimè qui angulis insident, & moderatoribus magis intimè applicati: quorum malefici morbi authores, & causæ habeantur; benefici verò ad seruandum idonei.

Tertio. Quartas, quas moderatores lustrant tam Zodiaci, quam Mundi. Et hucusq; patebit qualitas in genere, an scilicet calida, an frigida &c.

Quarto. An maleficus author morbi sit vnus tantum, & solitarius, an plures, & super alios eleuentur. Si primum morbus simplex erit: si secundum, mixtus prout infra dicemus.

Quinto. Signa, Imagines, & fixas, quæ circa moderatores inueniuntur: non despiciendo quæ circa morbi authores. Ex his enim iuxta prædicta suis singula locis, apparebit humor, & pars corporis morbo laborans: ab eleuatione autem innotescet

ſpecies infima morbi mixti, hoc modo.

Notandum autem quod vbi loquimur de eleuatione ſiderum ſuper ſidera, de maleficis quidem, opus eſt quod contingat ex familiaritate hoſtili, vel indifferenti, quæ ſunt hæ quidem coniunctio, & Parallelus, ſiue in Zodiaco, ſiue in Mundo; illæ verò oppoſitio Quadratum & Seſquiquadratum. De beneficis autem, vt accidat ex familiaritate benigna, vel indifferenti: radij benigni ſunt trinus Sextilis, Quintilis, & Biquintilis: Coniunctio autem, & Parallelus in hoc ſecundo caſu ſemper ſunt ſuſpecti, & accuratè bonorum, & malorum vires contemplandæ ſunt.

Saturnus igitur quoniam frigidus, & ſiccus eſt, ſolus, & ſolitarius author morbi, orientalis, auget atram bilem, occidentalis corrumpit: affert autem morbos diuturnos, contumaces, reciprocos, maximè retrocedens, febres quartanas, marcores, tabem, neruorum contractiones, gibbos, claudos, cæcos, humorum defluxum, & ab his ſuffocationes; atq; omnes morbos illos, qui peritis Medicis noti ſunt, ex frigiditate & atra bile in genere oriundos.

Saturnus eleuatus ſupra ♃, afficit, & corrumpit humorem, partes, & munera ♃, ſcilicet ſanguinem, Pulmones, coctionem, partim, & ſanguificationem: vnde procedunt febres diuturnæ, quartanæ, Phtyſis, Tabes, Hydropiſia, & propriè Tympanites, Aſthma, Exanthemata nigra, Pleuritis, atq; ſimilia: cum hoc diſcrimine, quod vbi corruptus ſanguis fertur ad carnem, & erumpit ad cutim, Veneris quoq; quæ carni præeſt requiritur afflictio, atq; in augmento Lunæ, vbi humores ducit à centro ad circumferentiam: In Aſthmate concurrit Mercurius, vel ſigna aerea, vel aquea decreſcente ☾. Ad Hydropem Venus, & ſigna aquea, & Quartæ frigidæ, decreſcente ☾, modica luce prædita, ad Pleuritidem ♂, ad Tabem Sol &c.

Cæterum ad ſpeciem morbi optimè cognoſcendam expedit conſulere, & accuratè perpendere quæ paſſim docet Galenus

de qualitate, & natura morborum, maximè vbi de differ. & causis morb. & symptomatum &c. nam cognita natura, & causa propinqua vniuscuiusq; morbi, vt an ex affectione, & quali, vel mixtione, vel defectu requisitorum, vel excessu inutilium, vel vnitatis diuortio, atq; si quæ sunt aliæ causæ: cuncta hæc in cælestibus causis, tanquam in speculo ex prædictis, & dicendis requisita, & cognita, statim morbi speciem declarabunt: Neque enim fieri potest, sicut in Cælesti Philosoph. diximus, vt cognoscamus siderum effectus, nisi rerum inferiorum naturam, qualitates, & temperamentum prius nouerimus. Cunctis enim hisce à perito Medicinæ Professore cognitis, & ad suam vniuscuiusq; causam relatis iuxta propriam singulorum naturam, & differentiam, ad indiuidualem affectarum partium, & morborum speciem, & locum descendere non erit difficile. Sed infra in exemplis planius dilucidabimus.

Saturnus supra ♂ corrumpit flauam bilem, vel miscet, vel in atram conuertit: producit violentos casus ex ruina, submersione, seditione, & similibus, vt habet Ptolemæus lib. 4. cap. 9. afficit renes, vel vitiat, vel replet diuersitate materiæ iuxta suum habitum, & situm, maximè concurrente Venere, quæ superioribus renibus præest, atq; in signis ♎, & ♍.

Saturnus supra ♀ vitio, vel morbo (semper cum distinctione, quam ex Ptolemæo dedimus, si sit orientalis, vel occidentalis) afficit, vel corrumpit humorem, partes, & munera ♀; scilicet Pituitam, Hepatem, & Carnem, quare pessundat sanguificationem, & carnis generationem, & augmentum ad morbos illos, qui inde sequuntur; vnde fluit Hydrops, Ascitis, vel Hyposarca, Quartana; Renum, & genitalium affectiones, & vitium, frigiditas, angustia, obstructio, oppilatio, concretio; atq; similia, iuxta suum habitum: suscitat deformitates ex plagis, vulceribus incurabilibus ob affectam frigiditate, vel atra Bile Pituitam, & humores acres; infert lepram, dolores membrorum continentes; Cancros, atq; huiusmodi calamitates;

afficit carnem nigredine, macie, & vt plurimum ex intemperantia, contagione &c. in pueris generat vermes nigros inuincibiles: & hæc iuxta signa, & quartas.

Satutnus supra ☿ corrumpit sensum, intelligentiam, mentem, infligit morbos in capite quoscunq; ex frigiditate, Apoplexiam, Epilepsiam, maximè in signis communibus, & cum testimonio Lunæ de die vt docet Ptolomæus lib. 4. cap. 18. item dolores capitis diuturnos, & continentes: lethargum: auget fel, afficit Hypocondria, vnde qui hanc affectionem patiuntur persæpè non vacant à mentis vitio: impedit linguam, & sermonem; suffocat humorum defluxu, &c.

Malefici super Solem eleuati pro natura sua vitiant calorem vitalem, sanguinem arteriarum, neruos, & regionem cordis, & ipsum Cor, vnde Tabes, & Cardiacæ oriuntur, minantur omnibus membris dextræ partis corporis. Super Lunam verò vitiant humiditatem radicalem Stomachum, Ventrem, Caput, & minantur omnibus membris sinistræ corporis partis. Cum verò animalis vita pendeat à calore vitali, & humido radicali, hinc est quod malefici vbi circumueniunt Luminaria illico afferunt morbos, & mortem.

Iuppiter secundum suam naturam temperatè calefacit, & humectat, magis tamen calore quodam fæcundo valet, quapropter rarefacit validissimè, quibus qualitatibus quando feliciter se gerat, sanitatem reuocat, raritas enim sanitatem conciliat iuxta Philosophum Problemate 54. sect. 1. Hæc tamen efficit Iuppiter si familiaritate tueatur vitæ moderatores illos, qui vel principales sunt, vel qui maleficorum obsidione inficiuntur, leuat enim illos à maleficorum qualitatibus iuxta suas ipsius Iouis vires: Quod si supra maleficos prestet, omninò preualet: E contra si infeliciter se habeat, & submittatur maleficis morbi authoribus, specificat, & auget validissimè morbos secundum eleuati super eum malefici naturam: tunc enim rarefaciendo, & humectando sua iura, aperit, & præbet quodam modo adi-

tum

tum ad qualitates maleficorum, quibus ratione suæ debilitatis succumbit in deterius ægrotantis, & corruptis Iouis partibus sanguine, Pulmone, & muneribus, grauiores affert morbos: vnde rectè dicitur, corruptio optimi pessima. Cæterum ad ♃, quoniam sanguini præest, referuntur febres Hephemeræ, quando nimirum solus, & solitarius author est morbi.

Iuppiter supra ♄, soluit huius impedimenta, curat eius infirmitates Medicorum ope, præbet sufferentiam prudentiamq; in gerendis, & sumendis, donec morbus euadat; item ex inedia proficuum, curam, & amorem maiorum; detegit morbum, quo profutura exhibeantur.

♃ supra ♂, soluit impedimenta, & morbos illius tum sapientia Medicorum, tum expeditione, & velocitate rerum agendarum, per seruos, & famulas fideles, & diligentes. Significat fratrum, & minorum amorem, & curam erga infirmum: ex phlebotomia, ferro, vel igne applicatis, bonum ad valetudinem.

♃ supra ♀, confirmat illam, & roborat ad suas beneficas qualitates præstandas: quod si hæc à maleficis lædatur leuat non parum, iuxta tamen suas vires ab impedimento, & maleficio infortunarum, præbet temperantiam, & spem salutis, detegit morbum parat Pharmaca profutura; somnia læta cum quiete, & salutis auspicijs.

♃ supra ☿, soluit item eius impedimenta, si qui à maleficis patitur, intelligentia, ratiocinatione, ordine, cura, aperit viam vt cognoscatur morbi qualitas, & natura.

Et notandum quæcunq; de ♃ dicta sunt, & de Venere dicenda quoad eorum eleuationem intelligi debere si ipsi feliciter, & valenter se gerant: nam si infeliciter, potius augent morbos corruptione suarum partium: Itemq; si familiaritatem quoq; contrahant cum moderatoribus vitæ, vel principalibus, vel per maleficos læsis: alias parum prosunt.

Mars de sui natura efficiens est caloris, & siccitatis, & quando

author

author est morbi, solus, & solitarius, infert tertianas exquisitas, vel continentes, morbos veloces, & cito ad suum finem venturos. Orientalis auget bilem flauam, occidentalis corrumpit. Item suscitat iram, impatientiam, vigilias, dolores &c.

Mars eleuatus supra ♄ infert acrimoniam atræ Bili, affert casus violentos per ignem, & gladium, frangit crura, grauat lienem & similia, iuxta suum situm, & habitum.

♂ supra ♃ afficit sanguinem, Pulmones, & munera ♃, calore corruptiuo, bile flaua: infert febres pestilentes, exanthemata, carbunculos vrentes, morbillos rubros: item anginam Erysipelam, pleuritidem, peripneumoniam, &c.

♂ supra ♀ afficit Pituitam carnem & Hepar noxio calore, vel flaua bile; vnde oriuntur febres quotidianæ, & hecticæ, erysipelæ, scabies, vulceres, exanthemata, carbunculi vrentes: apud renes & vexicam infert omne genus morbi ex calore & inflammatione Hepatis; dissenteriam: in pueris vermes rubros; item venenum, & ictus venenatorum: humores salsos, mordaces, contagiosos &c.

♂ supra ☿, Phrænitim, delirium, fugam, impatientiam, grauat caput doloribus, & immodico calore; si concurrat Luna de nocte efficit Epilepsiam: rursus Apoplexiam; multiplicat, & euertit fel.

Venus efficit temperatam humiditatem, cum exiguo calore: ideóq; & ipsa rarefacit, sed cum maiori copia humiditatis, quam Iuppiter: Et si feliciter se habeat communicata luminaribus, & authoribus morbi, leuat, & prodest ad salutem: si vero infeliciter, sola, & solitaria affert febrim quotidianam. In vniuersum autem ad ferendam opem infirmiores sunt vires Veneris, robustiores Iouis.

♀ supra ♄ mitigat eius siccitatem, & affert spem salutis à morbis ♄, quamuis diu producantur: præbet temperantiam & continentiam saluti profuturam.

♀ supra ♃ confirmat opera ♃ ad commodum, & salutem, &

leuat

leuat eum ab obsidione malorum, sub qua forte reperiatur: aperit morbum peritis Medicis &c.

♀ supra ♂ soluit eius impedimenta, mitigando morbum, & qualitates ab eodem prodeuntes: excitat potentiam expultricem extinguit bilem flauam &c.

☿ supra ☿. Prodest intelligentia, cura, lætitia, musicis, & poeticis concentibus &c.

Mercurius ancipitis naturæ, cum bonis bonus, cum malis pessimus, & validissime auget vires, & significata Planetarum, cum quibus familiaritatem contrahit, & siue ipse eleuetur super alios, siue alij super ipsum: in genere induit naturam eorum; tamen eius significata ad ratiocinationem referuntur, ad sermonem, linguam, ad cerebrum, caput. Propriè autem natura ☿ refertur ad spongiam, gluten; & quid simile: quamuis enim è quatuor primis qualitatibus nullam ex propria natura possideat, attamen suscipit omnes aliorum, cum quibus communicat, atq; ad alios, cum quibus item communicat transfert, & conglutinat, & eis superaddit vel quid humidi, vel sicci &c. tunc prorsus insolubile, insuperabile, inuincibile. Dum retrocedit, malefici semper naturam refert.

Cauda Draconis permixta vel moderatoribus, vel authoribus morbi, maximè concurrente, & infeliciter se habente Venere, & iuxta signa, & imagines venenatas, arguit venenum.

Et sanè quidem morbus simplex, qui scilicet procedit à simplici natura Planetæ, ille dici debet qui oritur ex alteratione vnius tantum primi humoris, absq; læsione aliorum humorum, vel partium corporis: vt morbus simplex Martis, alteratio solius flauæ Bilis &c.

Et ratio optima id suadere videtur: etenim, vt habet Galenus lib. 2. de Elementis, Prima Elementa propria, ex quibus animalia sanguine prædita & constant, & generantur, sunt quatuor primi humores: quare sequitur, vt eorum si vnus tantummodo alteretur, & putrescat apud propriam sedem, absq;

læsione alterius humoris, vel partis corporis, tunc oriatur morbus iuxta simplicem illius naturam: at verò si talis humor alteratus transeat ad alios humores. & alienas corporis partes, tum prodeat morbus mixtus, vt Asthma, Pleuritis, Hydrops. Phlegmon, Erysipelæ, atq; alij innumerabiles penè morbi. Planeta igitur solus, & Solitarius affert morbum simplicem iuxta suam naturam: cum verò ad inuicem plures familiaritate miscentur, morbum mixtum, vt diximus.

Cæterum sciendum est, quod vniuersa, quæ hactenus dicta sunt de Planetarum decretis non tantum habent suos effectus in Decubitu, verum etiam in Natali: Cum verò de causis diuersorum morborum tum corporis, tum animi agat Ptolemæus lib. 3. cap. 16. & 18. non est opus hic denuo recensere: Consulatur eius doctrina, quæ tam in Natali quam in Decubitu seruanda est.

Morbus an leuis, an grauis; & an diuturnus, an breuis futurus.

CAP. XXV.

PRimvm quidem cognoscemus ex maleficio infortunarum erga moderatores vitæ maximè conditionis temporis; vt Solem & Horoscopum de die. Lunam, & Partem Fort. de nocte: nam si à nullo beneficorum leuentur, ipsi autem moderatores infeliciter alio etiam modo se gerant, quod in finibus maleficorum, in signis obnoxis, & in locis ab Horoscopo inconiunctis &c. grauem proculdubio iudicabimus morbum, etiamsi vnus tantum maleficus, & vnico radio inficiat moderatorem vitæ, dummodo applicando: Quod si plures, vel multiplicatis familiaritatibus, proculdubio desperatur salus ægri: hoc autem videre est in exemplaribus infra positis, si verò contingat læsum vitæ moderatorem, succurri ab aliquo beneficorum, tunc accuratè pendendæ sunt

vires tum malefici, tum benefici, atq; ipsius moderatoris qualitas mansionis; etenim, quoniàm tunc boni & mali dimicare quodammodo videntur circa largitores vitæ, ex qua parte conspicitur victoria, ad illam ægrotantem iturum pronunciabimus. Pari modo si plures malefici obsideant vitæ moderatores, vel pluri familiaritate, & in vtroq; genere, si & benefici accedant ad opem, contemplandæ sunt omnium, & singulorum vires, & quæ per applicationem, & quæ per defluxum, & magis propè, vel remotè, & quis eleuetur super cæteros, & an accedant fixæ, supputando etiam numeris suffragia iuxta supra expositam in Isagoge Tabellam, tunc iudicabimus morbum ad salutem quidem incedere si præualeant benefici, ad extinctionem si malefici.

Professores aiunt si dominus 8. domus lædat dominum Ascendentis, vel dominus Ascendentis ponatur in 8. domo, vel idem sit, & vnus Ascendentis & 8. dominus mortem prænunciare: quæ an vera sint nescio: Verum reperi, maleficum in 8. domo si lædat Luminaria, & maximè quod temporis; atq; è contra Luminaria, & præcipuè conditionis in 8. læsa à maleficis ominari funera.

Item obseruandum Planetas eiusdem sectæ ad inuicem congrua familiaritate iunctos roborare ad agendum suam partem; dixi congrua familiaritate; vt inter beneficos benigna intercedat, inter maleficos hostilis.

Cauda Draconis cum moderatoribus semper ad necem suspecta fiat. Rursus quædam signa ex propria natura grauiter lædunt moderatores, qui in eis insident: vt Aries Leo, & Scorpius officiunt maximè Lunæ; Libra Aquarius, & Scorpius Soli.

Læduntur quoq; grauiter moderatores diminuti lumine, & in quartis descendentibus, seu frigidis à ♄: aucti verò & in quartis calidis à ♂. & fixis Martijs.

Item obseruaui Declinationem p. 14. 15. & 16. calidissimam,

mam, & exitialem esse ob Parallelum Syrij, Basilisci, Aldebaram, & Caudæ ☊. Atq; Declinationem p. 24. 25. & 26. veneficam, ob Parallelum Antaris, & Pleiadum.

Luna à Sole combusta grauitatem affert morbi, maximè in signis calidis sub eleuatione ♂, & in frigidis sub ♄.

Planetæ retrocedentes perpetuo addunt morbo grauitatem, etiam benefici; morborum enim tunc fœcundi apparent.

Si Cælestis constitutio Natalis ægroti nota sit, & in Decubitu appareant maleficæ hostiliter se habere ad Moderatoris vitæ locum Natalis: siue è contra in Decubitu Luminaria maximè conditionarium hostiliter lædatur à maleficis Natalis, grauitatem morbi indicat.

Quoad diuturnitatem &c. præceptum generale sit à causis calidificis emanare morbos & febres velocis motus, & breues: à frigidis verò tardi, & diuturnos. Qua propter Saturnus, Quartæ autumnales, & Hyemales, atq; Iuppiter, & Luna vltimis diebus ante eorum cum Sole coniunctionem, diuturnos morbos, & febres efficiunt: retrocedentes quoq; Planetæ, signa, fixa, vel terrea id muneris habent. E contra signa mobilia, vel ignea, fixæ Martiæ, Mars, Venus, & Luna, exeuntes à Sole, veloces morbos, & febres emittunt, quam primum ad suum finem venturos.

Quæ causa cur ægri aliquando conualescunt, & extemplo recidentes ad grauiora labuntur, & citrà ordinem, & medicorum expectationem pereunt.

CAP. XXVI.

PROFESSORES recidiuas afferi à Planetis retrocedentibus communiter afferunt: sed re vera alijs etiam de causis contingit spem & signa salutis ad lethalem recidiuam conuerti.

Primò, Luminarium localis positio in semicirculis Zodiaci,

&

& mundi descendentibus, & Luna deficiens lumine, hanc afferunt significationem, saltem proximè potentialem: Etenim in his semicirculis luminaria passionem illam luminis exhibent quam alij per regressum. In his ergò semicirculis luminaria vel diuturnum morbum, vel recidiuas præbent; vel tandem velocem morbum in chronicum conuertunt, & priori magis discriminosum: vnde non ab re dicitur morbus autumnalis aut longus, aut mortalis.

Secundo, signa communia vel mixtos morbos significant, vel vna plures diuersarum qualitatum, adeout si ab initio vehemens vigeat morbus, vtpote ex pluribus causis mixtus, quarum extincta velociori, exempli gratia, calida, videatur æger conualescere, mox è superstite causa frigida in chronicum morbum incidat.

Tertio, si benefica Orientalis mediocriter robusta benigno radio intueatur vitæ moderatorem, ita tamen vt incipiat separari: sed malefica Occidentalis robustior quam benefica, applicet ad eumdem moderatorem hostili radio, maximè valentiori, quam sit radius beneficæ, sed non nihil magis à longè, itaut maior sit distantia huius applicantis radij, minor illa separantis; grauem recidiuam significat. Et ratio est: quoniam perpetuò. Orientalia, & propinquiora, que circa exordium morbi; Occidentalia, & remotioria quæ circa finem significant, maximè in separatione illa, hæc vero in applicatione. Ordo virium familiaritatum est; vt primus locus detur ☌, & Parallelo, deinde radijs, qui plures comprehendunt gradus.

Quarto, benefici illi qui manum ad salutem præbent si superentur à maleficis robustioribus retrocedentibus, incipiunt quidem leuare infirmum, sed tandem quia debiliores desistunt, illumq; in deteriora mittunt dilapsurum, & manibus hostilium infortunarum ab ijsdem necandum relinquunt.

Quinto, Cauda quoq; Draconis id naturæ prælefert, vt grauem recidiuam, si cum vitæ moderatoribus iungatur, significet,

Sexto,

Sexto, si Decubitus natura sua non appareat grauis; sed contingat postea Nouilunium, vel Plenilunium ex eadem quę in Decubitu morbi causa magis graue, maxime in die indice, vel critico, recidiuam afferre poterit, & eo grauiorem si super loca natalis vnde morbus originem duxerat.

Septimo, ipsi benefici, qui moderatoribus ad opem iuncti sunt, si retrocedant, quamuis in exordio morbi leuare videantur ægrum, tandem non nunquam, quodam modo defatigati, quoniam viribus infirmi, vel ob regressum conuerso pede ab inceptis discedētes, ad recidiuam, aram latissimā relinquunt.

Octauo, Mercurius vbi medio quodam loco positus communicat maleficorum qualitates moderatoribus vitæ: hoc enim proprium est Mercurij, & efficacissimum, si retrocedat, certam, & præter expectationem recidiuam afferre.

Nono, Plures Planetæ eorum qui ad morbum aliquo modo concurrunt etiam beneficæ, si retrocedant, recidiuam afferunt.

Decimo, Tandem maleficus morbi primus author, & causa, si retrocedat, recidiuam affert, vt professores omnes asserunt.

De morbis animi.

CAP. XXVII.

QVONIAM inter omnes hominis ægritudines illa profectò censendā est turpior, licet quoad vitam rarò grauis appareat, ad curandum tamen difficillima semper, quæ mentem, & intelligentiam ambit: aperæpræcium existimaui de hac ægritudine latius disserere, quò manifestabis eius causis, planius & facilius curetur.

Vt autem rectè procedamus opus est primo distinguere in mente suas partes, deinde differentias afferre diuersorum morborum, qui circa mentem accidunt, tandem causas eorum tum immediatas, tum vniuersales cognoscere.

Aristoteles lib. 3. de Anima distinguit intellectum agentem

ab

ab intellectu patiente, eo prorsus modo quo actus distinguitur à potentia, seu materia: deinde intellectum agentem affirmat esse impassibilẽ, patientẽ verò corruptibilẽ, & sine illo nihil intelligere: item affirmat animam non intelligere sine phantasmatibus, eo modo, quo neq; sensus percipit absq; specie sensibili: Rursus quemadmodum è specie sensibili, & sensu actu sentiente fit vnum quoddam; ita è speciebus intelligibilibus, & anima actu intelligente fieri vnum quoddam. *Omnino autem intellectus*, inquit, *qui secundum actum intelligit, res ipsa est*. Tandem cum intellectio nihil aliud sit nisi speculari phantasmata, seu species rerum, quicunq; sensibus caret neq; addiscere, neq; intelligere posse, quòd rerum species accipere, atq; potentijs animæ offerre nequeat.

Eamdem distinctionem habemus apud Ptolomæus lib. 3. cap. 17. vbi agens de qualitate animi, distinguit habitus intellectus, à moralibus, & morales quidem refert ad Lunam, reliquos ad Mercurium, tandem in fine capitis innuit vniuersos ad Solem quoq; referri. Rursus cap. seq; agens de vitijs & morbis animi, assumit spectandos Lunam, & Mercurium, deinde in progressu capitis etiam Solem.

Ex his infertur intellectum agentem spectare ad Solem, patientem ad Lunam, species rerum & earum passiones ad Mercurium: Videntur enim morales habitus segniores se gerere, sicut innuit Ptol. ibid. verbis illis, *morum verò & hebetiorum animæ actionum*, quam species intelligibiles; cum tamen non differant inter se, nisi tantum sub ratione termini, quod morales habitus se tenent ex parte subiecti, seu intellectus patientis, species verò intelligibiles ex parte animę seù intellectus agẽtis.

Galenus de locis aff. lib. 3. cap. 3. sic habet. *In corpore itaq; cerebri anima suam sedem sortitur*, quod intelligendum est quoad potentiam intellectiuam; nam anima est actus totius corporis; & ipsemet Galenus declarat subdens, *in quo etiam fit tum ipsa ratiocinatio, tum recordatio sensibilium imaginum*.

Primum autem instrumentum ipsius animæ, tum in sensibilibus actionibus vniuersis, tum in ijs, quæ à consilio, & voluntate proficiscuntur, spiritus est animalis, qui in cerebri ventriculo continetur; sed præcipuè in postremo &c.

Videtur autem Galenus nomine spiritus animalis quo tanquam instrumento & in sentiendo, & in intelligendo, atq; sequendo vtitur rationalis anima nihil aliud intelligere nisi ipsas species rerum sensibilium iunctas cum anima actu siue intelligente, siue sentiente; & est idem quod innuit Aristoteles.

Cæterum quoniam singulis animæ potentijs dicatum est peculiare corporis membrum, vt ipse Galenus asserit huiusmodi spiritum vitalem contineri in cerebri ventriculis, & præcipuè in postremo: proculdubio in quocunq; membro adsit vitium aliquod, vt vel angustiæ, vel alicuius affectionis, illud causa, & principium est morbi vel vitij eius potentiæ, cuius est membrum illud. Vnde Galenus ibidem subdit. *Satis tamen fuerit ad curationem, nosse sedem affectam esse ipsum cerebrum.* Quemadmodum paulo supra dixerat. *Iam comitialis morbus conuulsio est omnium corporis partium, minimè quidem perpetua &c. sed quæ ex temporum accidit interuallis. Nec solum hac re, sed mentis quoq; & memoriæ, ac sensuum oblæsione à iam dictis conuulsionum generibus differt. Vndè constat in cerebro hunc affectum consistere &c.*

Et sanè profectò, quemadmodum diximus in Cælesti Philosophia omnis perfectio actiua à Sole ortum ducit: administratio verò materiæ, & cuiusuis partis passibilis à Luna: species verò rerum quæcunq; & vbicunq; inhæreant à Mercurio: Vnde fit quod ad omnes morbos illos in quibus fit vel defectus, vel vitium appræhensionis, & cognitionis specierum vbicunq; & quomodocunq; contingat, semper interuenit Mercurius tanquam causa: quod si se teneant ex parte subiecti, vt est Epilepsia, Apoplexia, Lethargus, vel in moribus vitium, accedit Luna: si verò se teneant ex parte intellectus agentis,

sicut

ſicut ſunt inſania, furores &c. requiritur Sol, vt ideo rectè Ptolomæus lib. 3. cap. 18. dixerit. *Peculiariter verò ex locis qua figurationem comprahendunt, Solis, & Martis loca ad ad inſaniam efficacia in primis ſunt.* Quamuis ad morbos animi quoſcunq; ſicut dicemus cum Ptolomæo, requiratur ſemper praua Lunæ, & Mercurij diſpoſitio: vnde procedit intellectum agentem decipi.

Hucuſq; habemus quibus ſub cauſis collocentur partes humanæ mentis; atq; genericam quamdam differentiam morborum, qui circa ipſam accidunt. Cum verò morbi non niſi à maleficis ſtellis emanent tanquam à cauſis efficientibus qualitate præditis: cognita ſtellarum natura tum propria, tum ex accidentali habitu, de quibus Ptolomæus in primo Apoteles: agit diffusè, non erit admodum difficile cognoſcere naturam, & qualitates morbi, nimirum ex familiaritatibus eorum ad prędictos Lunam Mercurium & Solem; atq; ſeparatim ad quam partem mentis dirigatur eorum actio.

Etenim proprium Saturni eſt in organis mentis frigiditate, & ſiccitate craſſos humores efficere obſtruentes ipſos meatus in cerebri ventriculis, vnde oritur Epilepſia iuxta Galeni doctrinam loco cit. dicentis. *Cæterum velox eius diſcuſſio, craſſum humorem ſpiritus meatum in cerebri ventriculis obſtruentem, hunc maximè affectum peperiſſe declarat: neruorum principio ſe ipſum quatiente, quo excutiat id quod infeſtat. Itaque non ab ariditate inanitioneue, ſed à craſſo & viſcido humore, impediente animalem ſpiritum, quo minus deferatur in corpus, hanc affectionem gigni, argumento eſt, quod ſubito & fiat, & ſoluatur* &c.

Sed oritur difficultas ex Ptolemæi verbis, qui lib. 3. cap. 18. aſſerit, *Epilepticos fieri quotquot Luna, & Mercurio nulla familiaritate cohærentibus, in Orientali finitore Saturnum perdiu, Martem verò noctu ſuſtinent intuentem prædictam figurationem:* Etenim ſi Epilepſia fit ex obſtructione à craſſis hu-

moribus orta, vt affirmat Galenus, non videtur posse hic morbus à Marte generari, qui biliosum, & subtilem humorem producit, atq; maximè fluentem.

Ad cuius difficultatis solutionem primo meminisse oportet doctrinæ, quã Galenus tradit in libro de diff. morb. cuius summa est, quemcunq; morbum emanare ab aliquo excessu etiam de sententia eorum qui constituunt elementa impassibilia: At verò excessuum causæ in Cælo sunt Saturnus, & Mars; nam Iuppiter, & Venus medium temperamentum rebus conferunt: quamuis & ipsi benefici quando maleficis morbi authoribus subijciuntur, validi sint ad speciem morbi, & partem læsam definiendam, vt suis locis dictum est.

Secondo, Conuulsionem neruorum contingere ab his duobus exessibus, vel ob plenitudinem, vel ob inanitionem. Galenus de locis aff. lib. 3. cap. 3. *Porrò ipsam conuulsionem neruorum, ob plenitudinem, vel inanitionem fieri quam verissimè professus est nobis Hippocrates: id quod vel ex fidiculis instrumentorum (quæ ob vtramq; intemperiem ambientis aeris, humidam nempe, & aridam, adeo tenduntur, vt disrumpantur) liquido constat. Si igitur conuulsio fiat vel à labore, vel vigilijs, vel fame, vel solicitudine, vel arida æstuantiq; febre, qualem est videre in phreniticis, causam eius ariditatem, inanitionemq; rectè putaueris. Sin verò temulento cuipiam, ac omninò pleno homini conuulsio accidat, non ab re ipsam à contraria causa iudicabis ortum habuisse. Atqui inanitioni contraria est repletio.* Item Galenus agens de causis morb. *Ob secundam verò, nempe ob frigidiora alimenta, nonnullos correptos vidimus attonito, aut Epileptico morbo, aut alio quopiam modo refrigeratos, id quòd ex ebrietate vel maximè accidere solet.*

Tertio, Comitialem morbum esse conuulsionem omnium corporis partium. Galenus ibidem. *Iam comitialis morbus conuulsio est omnium corporis partium &c.* Comitialis ergo

morbus

morbus habet pro causis duos excessus: & Mars quidem plenitudinis, ebrietatum, & commessationum causa est: Saturnus verò è contra inanitionis, continentiæ, & parsimoniæ: ita docet Ptol. cap. ne qualitate animi.

Quarto, Quoniam Saturnus agit frigore, Mars verò calore; ille quidem obstruit de sui natura; Mars vero dupliciter obstruere potest, vel plenitudine, vel inflammatione partium: rursus ex inflamatione duplex potest nasci causa obstructionis, vel ex ariditate orta ab arida, & æstuanti febre, vt affirmat Galenus loco citato; nam re vera bilis flaua perusta in atram conuertitur: vel ex inflamatione partium, maximè affluente pituita, quæ calefacta in varios, & diuersos morbos tumescentes erumpit, vt est exempli gratia Angina, &c. qui morbi ratione tumoris obstruunt.

En igitur quomodo vterq; maleficus causa fiat Epilepsię iuxta Ptolemæi doctrinam per obstructionem de qua loquitur Galenus.

Sunt autem omnes morbi, qui à capite, & cerebro ducunt ortum ad inuicem affines, quos recenset Ptolemæus eodem cap. 18. cum aliqua inter se differentia: nam morbus Epilepsię, quem primo loco declarat, cæteris leuior est; est enim tacitus ad instar somni sensuum defectus per raras vices breuis moræ: Cum enim Mars de nocte ob humiditatem, & frigiditatem temporis, similiter Saturnus de die ob calorem à Sole excitatum, temperantiam quandam induant, leuiorem morbum afferunt, atq; non vltra, quam sensuum defectum ad instar somni, & soporis, quem ob naturam maleficæ tempori contrariam excitant.

Ptolemæus verò sequitur grauiores animi morbos declarare dicens. *Furiosi vero quando præter ea, quæ dicta sunt è diuerso Saturnus nocte, mars die figurationi dominatur, potissimum in Cancro, Virgine, & Piscibus*. In furiosis ergo additur calor calori, & frigiditas frigiditati: in signis humidis.

Vnde propter infelicem habitum Lunæ, & Mercurij mentis insania excitatur, & furor.

Cum vero hic morbus se teneat principaliter ex parte intellectus agentis, quamuis possit etiam inhærere sicut mores intellectui patienti, omninò requiritur consensus Solis, vt paulo infra Ptolemæus declarat. Nam in comitiali intellectus agens non læditur nisi per concomitantiam; etenim cum intellectus non intelligat nisi contemplatione phantasmatum, & phantasmata deficiant ad sensuum defectum, statim ac deficit sensus, & intellectus necessario cessat intelligere: In furiosis verò læditur maximè intellectus agens, à quo intellectus patiens recipit in mores; vnde fit quod in his iuuant validè verberationes, & timor assistentium, ne in quo peccat intellectus agens, in mores transeat.

Cæterum hic quoq; apparet difficultas; nam si furor emanat à nimio calore, vt docet Galenus lib. de animæ morum, & corporis temperamenti mutua consequutione; dicens. *Furentes autem, atq; iracundos caloris abundantia efficit*, non videtur à Saturno, qui frigiditatis author est, posse furor excitari: cum tamen Saturnus non modo sit causa furoris, sicut docet Ptolemæus, sed febris etiam, quæ perpetuo calor est &c. immò & inflammationum causa in partibus, velut in aliquo apostemate &c.

Ad quam difficultatem dico Saturnum sua frigiditate inferre putredinem, densitatem, & obstructionem; inde verò spontè nasci perniciosum calorem; videmus enim in fæno humido, & conferto generari putredinem, inde calorem, & ignem; atq; similiter in compluribus alijs rebus. Ex his autem colligitur quantum vtilitatis, & commodi sumere possit ars medica ab hac disciplina per cognitionem scilicet summæ causæ morbi, ad quam nisi pertingant medicamenta, sed ad medias causas intendamus; puta si refrigerãtibus accuramus calori, quem Saturnus secundario producit, ipsum immò calorem augebimus in deteriora collabentes.

Notandum verò simplicem insaniam distingui à furore, & illa quidem non videtur aliud includere, nisi à communi recto sensu, & intelligentia, secluso furore, declinationem, qui morbus frequentior est, & compræhendit etiam eos, qui adeo propriæ sententiæ addicti sunt, vt rectam rationem, & sanum iudicium non admittant: furor vero post errorem mentis includit vim ad rerum falso appræhensarum effectum: quare hic morbus longè grauior est, & ortum habet à nimio excessu qualitatis actiuæ iam depreuatæ; cum verò omnis efficacia, oriatur à Sole, ad hunc morbum requiritur Solis, & Mercurij infelix habitus, & eorum validæ vires, itaut quo validiores existant, eo magis concitatum, vehementem, & robustum furorem excitent.

Ptolemæus tandem dæmonoplexiæ constitutionem cælestem declarat, quatenus nimirum respicit naturalem corporis temperamentum, quod subsequi possit vera dæmonoplexia: nam sæpesæpius sola opinio, appræhensio, vmbræ quædam, & timor, quibus, maximè mulierculæ, afficiuntur, causa est in moribus vexationis, & exacerbationis, clamorum, atq; similium: etenim vera dæmoneplexia supernaturalis est, non tamen potest negari, quod à prauis corporis, & cerebri dispositionibus, vnde apræhensiones, vmbræ, & timores exeunt, allici possit; atq; de consequenti naturali medela ad curandum disponi: ait ergo Ptolemæus.

Dæmoniplecti nascuntur, & lunatici quando sic constituta malefica Lunam præhendunt ac Solis radios properantem, Saturnus quidem cum Sole congredientem, Mars verò oppositam, maximè in Sagittario, & Piscibus.

Vbi notandum: quoniam omnis morbus vt supra diximus cum Galeno, emanat ab aliquo excessu; quo magis intensior est huiusmodi excessus, & ad ipsum augendum cōfluunt plures causæ eiusdem naturæ, eo grauior euadit morbus. Patet autem à Ptolemæo in his tribus generibus morborum animi af-

ferri pluralitatem causarum ad grauiorem morbum inferendũ; id quod contingit in omnibus corporis morbis, vt videre est in infra positis exemplis decumbentium.

Quando verò supra iam memoratis causis, ait Ptolemæus, additur excessus habitus Lunæ erga Solem, adiungitur morbo mentis summa grauitas: Etenim Lunæ lumine priuatæ validissimè obest Saturnus sua frigiditate; quemadmodum è contra luminibus plenæ, Mars suo æstuanti calore; id quod sæpius à nobis dictum est.

Interim stante Luna cum his excessibus, & tum ipsa Luna, tum Mercurio infeliciter inter maleficos collocatis; quoniam adiunguntur radij Solis, qui propterea, & ipse infeliciter se geret: in primis mentis insaniam inducit; deinde cum ipse Sol lumine suo augusto, vitam, efficaciam, libertatem pulchritudinem, honestatem, decus, & perfectionem omnem rebus conferat: in infelici habitu de se positus, & ipsi Lunæ radijs hostilibus infensus, manifestum est parere dehonestamenta, imperfectionem, clamores, dedecus, subiectionem, & captiuitatem in eo genere, & membro, quod indicant Mercurius, & Luna scilicet mentis, & cerebri. Quibus planè liquet quam concinnè progrediatur Ptolemæus sua doctrina.

Ex his autem deducitur quadratos etiam radios Solis posse Lunæ officere, vt re ipsa vidimus: cum hoc tamen quod si occidentales sint Luna, & Mercurius videlicet vbi minuuntur lumine, subijciantur Saturno, si vero orientales Marti: sed leuiori subsequuto effectu in vtroq; casu.

Item, cauendum quo ad positionem Lunæ Mercurij, & maleficarum posse contingere plures modos: quicunq; fiant ad magnitudinem effectus satis est vnum ex ipsis siue Lunam, siue Mercurium, siue maleficam, quod tamen omnium deterius est, in horizonte poni, & siue orientali, siue occidentali; quod si ab Angulis decidant omnes, quomagis distant, eo leuiorem effectum, & silentem demonstrant.

Adsunt

Adsunt, & aliæ mentis leuiores affectiones, vnde fluit nimia procliuitas ad passiones animi quascunq; cum aliquo excessu vel ad immoderatam iram, vel tristitiam, vel gaudium; vel desiderium rei cognitæ vel luxum, vel ebrietates obloquutiones, atq; huiusmodi: item summa leuitas, & mobilitas; vel è contra immobilitas, & pertinacia: rursus aliqua obliquitas & declinatio à recto iudicio; tarditas, & segnities intellectus; memoriæ imbecillitas, & similia mentis vitia; quæ proculdubio à Lunæ, & Mercurij cum maleficis habitu, & familiaritate nascuntur, & semper innuunt intemperatam affectionē cerebri, iuxta maleficorum naturam.

Ex his omnibus prudens medicus, peritus etiam in Astronomicis, quibus cuncta plenius cognoscet, facilè seruatis videlicet quæ infra cap. 29. dicemus, singulis mentis morbis occurrere poterit, & non tantum ad intellectus, & memoriæ potentiam curandam, & roborandam, verum etiam ad corrigendos prauos mores.

Aphorismi.

CAP. XXVIII.

1 AVTHOR morbi maleficus simpliciter manens, videlicet cæteris inconiunctus simplicitatem morbi significat iuxta suam naturam.

2 Quiuis Planeta, siue solus, siue concurrens ad morbum; si maneat orientalis ostendit augmentum, vel effusionem, vel aliud vitium sui humoris; occidentalis vero putredinem, & morbum, siue alterationem.

3 Planeta cadens ab Angulis significat debilitatem sui humoris, & partis corporis; Angularis, è contra vires: si verò infelix, curruptionem.

4 Infelicitas Planetæ oritur à casu ex dignitatibus, à regressu, ab intuitu hostili, ☌. vel Parallelo maleficæ, Cauda

Draco-

Draconis, tum demum fixa malefica.

5 Plures malefici morbi authores, qui robustior, prævalet ad qualitates morbi, licet mixti.

6 Quadrantes Zodiaci, & mundi, quos lustrant luminaria, maximè quod læditur, vel conditionarium est, plurimum pollent ad qualitates morbi.

7 Inter omnes Planetas ad morbum concurrentes, qui magis omnibus læditur, grauat morbum apud suum humorem, & corporis partes.

8 De quacunq; familiaritate agatur, pendantur quæ in applicatione sunt: quæ .n. separantur semper minus valent, maximè post duos vel tres gradus. Oppositio robustissima est si contingat cum aduersa latitudine, coniunctio cum eadem, applicando licet non nihil eminus.

9 Iuppiter infelix, aiunt Professores, quod medici imperitiam arguit: sed quamuis id contingere possit, re vera abscondit morbum, vel efficit insolitum, & peregrinum, vel in partibus à cognitione remotissimis.

10 Venus infelix vitium in pharmacis innuit.

11 Luminaria in inconiunctis locis ad Horoscopum significant debilitatem naturæ, & virium: sed configurata si maleficio afficiantur, significant vires morbi, & exacerbationes: quæ cognita plurimum iuuare possunt medicinæ artem.

12 Si ☾ sit Soli coniuncta graue est; item in oppositione, & quadraturis, sed minus.

13 Lunæ crescenti ad plenitudinem magis obest Mars, decrescenti vero Saturnus.

14 Estiuo tempore Soli magis obest Mars: hiberno vero, & autumno Saturnus.

15 Luminaria, & maleficæ in signis communibus multiplicant varios natura morbos: in fixis aggrauant vnum tantum morbum: in mobilibus afferunt varietatem symptomatum, & sæpesæpius permutant morbum in alium alterius

naturæ;

naturæ; maximè si ambæ maleficæ fiant morbi authores, quarum vna sit occidentalis, altera orientalis; initium autem morbi erit magis secundum naturam orientalis, quod reliquum secundum occidentalis.

16 Luminare conditionarium in 8. domo à maleficis læsum: vel è contra malefica in 8. lædens luminare conditionis maximè si sit vitæ moderator: lethale est.

17 Authores morbi retrocedentes recidiuam minantur, grauiorem: & ab ipsis semper timendum; etenim licet moram gerant, grauiorem tandem afferunt morbum. De recidiuis dictum est ex professo cap. 26.

18 Si moderatores recipiant radios beneficarum, & maleficarum, respiciendum ex quà parte fluant robustiores vires, & victoria, tum etiam vtræ moderatoribus magis iunctæ appareant.

19 Si moderator iungatur alicui,& ponderosior vltrolibet eorum interiaciat radios similes suæ natnræ, irritam efficit coniunctionem illam: maximè si moderator sit Sol qui circa se vniversos comburit, & tegit.

20 Planetæ in 6. domo aliquando prouocant Crisim 6. die: qui si sint benefici, & liberi, Crisis ad salutem sperari poterit: si malefici ad mortem, si benefici à maleficis Angularibus supplosi, recidet æger, & morietur.

21 Quiuis radius maleficorum ad vitæ moderatores etiã benignus si confirmatur Parallelo, lethalis est.

22 Venus Angularis feliciter se gerens, & Lunæ applicata intemperantiam arguit, in specie iuxta suum situm, quæ morbi fuerit causa.

23 A quacunq; detineantur hostilitate moderatores, si cui debetur vitæ moderatio liber est, & beneficis vallatus, salus speranda: E contra si vitæ moderator, maximè si sit lumen temporis, grauem patiatur à maleficis læsionem; nihil vel admodum parum proderunt benefici erga reliquum luminare.

T 24 Si

24 Si vna malefica lædat vnum luminare, altera alterum: sint vero maleficæ, atq; luminaria ab inuicem disiuncta: duas morbi species inter se diuersas significant; Quod si familiaritate aliqua communicent, mixtum morbum.

25 Mars lædens Solem existentem in quartis æstiuis Zodiaci, & mundi, & in signo igneo, & iuxta fixas martias, significat morbum vehementem ex æstu, & flaua bile. At verò Saturnus lædens Lunam apud quartas tam Zodiaci, quam mundi autumnales vel hyemales, & in signis aqueis, vel terreis; idem ex frigiditate, & atra bile.

26 Maleficæ si lædant luminaria, & eleuentur super beneficos: & beneficæ vel nullo, vel hostili radio intueantur luminaria, morbum lethalem significant, mixtum, & incognitum: E contra si beneficæ respiciant luminaria, & eleuentur super maleficas, salus speranda.

27 Mercurius regressu induit maleficorum naturam, nisi communicet cum beneficis.

28 Beneficæ regressu degenerant à bonitate, & labefactant humorem, & partes corporis quibus præsunt.

29 Quiuis Planeta Angularis affluentiam sui humoris addit minuit in cadentibus.

30 Duo sunt loca in mundo, in quorum altero si adsit infortuna, & in reliquo luminare conditionarium horrenda sunt: scilicet medium 8. domus, & medium quintæ; idest æquales proportionales distantiæ inter culmen, & occasum, & inter occasum, & imum: alia duo; medium 8. domus, & medium Vndecimæ: ab his enim locis proficiscuntur, & Paralleli, & Quadrata in mundo, & sesquiquadrata ad finitorem, & omnia vna simul; quæ in Decubitu mortem, in natali violentam minantur.

31 Mercurius si sit causa morbi, manens in ♋ ♏ ♓ ♉ vel ♑ statim priuat voce, & sermone, maximè si Saturni qualitates hauriat: in ♊ ♒ ♎ & ♍ sensu, mente, & intelligentia:

in

in ♈ ♌ ♓ affert Phrenitim, vel delirium, vel fugam &c. iuxta naturam maleficæ, cui communicat.

32 Cauda Draconis cum vitæ moderatoribus in signis venenosis infert qualitates virulentas: in mobilibus corruptionem humorum : in mutilatis contorsiones partium, & contractiones: cum nebulosis, & in via lactea cæcitatem &c.

33 Malefica in domo 1. vel 7. existente luminare conditionis in 6. vel 12. absq; beneficorum ope, morbi diuturnitatem vel mortem significat. Item si malefica in 10. vel 4. & luminare in 3. vel 9. idem.

34 Quæ ab octaua, & sexta domo proficiscuntur decreta: Professores affirmant si dominus Ascendentis in ipsis ponatur maximè cum habitu infelici; siue illarum dominus maleficio circumueniat dominum Ascendentis, siue ponatur in Horoscopo, vel idem planeta sit dominus Ascendentis, & alterius illarum domorum: quæ ab octaua proueniunt significata mortem innuere: quæ verò à sexta domo grauitatem morbi. At sanè profectò non semper hæc apparent vera, nisi quando prægrauis est à maleficis Decubitus: Quod si ab illis domibus maleficæ obsideant luminaria maximè conditionarium, vel è contra luminaria potissimè conditionarium in illis domibus collocata maleficio infortunarum afficiantur, & vera sunt, & morbus grauissimus est. Quod si Horoscopus sit vitæ moderator, malefica in medio octauæ domus, vnde habet sesquiquadratum ad Horoscopum, si grauis est Decubitus mortem innuit.

35 Moderatores à maleficis obsessi iuxta Galaxiam, vel nebulosas fixas inferunt morbum in oculos.

36 Constitutio cælestis momenti cuiusuis grauioris Symptomatis, si consulatur, patefaciet causas, qualitates, naturam, & partem corporis læsam. Hoc autem secretum est ad medicam artem pretiosissimum, & verum.

Ad complementum huius Opusculi pertinerent Apoteles-

mata, quæ ab Hermete, Magiono, Ferrerio, Argolo, alijsq; traduntur; quæ si quis exoptat consulat apud eosdem: Meminerit tamen eorum non omnia, & singula assentiri doctrinæ Ptolomæi, neq; rationi, neq; rerum experimento.

De Temporum electione ad vniuersum medicum opus. CAP. XXIX.

AXIOMA generale est in vniuersa Philosophia, contraria contrarijs curari. Et sicut contingit inter ipsa sidera, vt quæ contrariæ sunt naturæ aduersentur suis contrarijs: ita si malefici morborum sunt authores, vtiquæ benefici sanitatis erunt: & sicut soluuntur morbi in aduersis temporibus, & quartis Zodiaci, teste Galeno, quem supra retulimus, ita inde sumendæ sunt temporum electiones. Rursus quoniam omne agens agit iuxta subiecti passibilis potentiã, seligendi sunt siderum habitus ixta temporamentum, sexum, & ætatem ægrotantis.

Hinc emanat præceptum vniuersale petenda esse semper loca omninò aduersa morbo, & qualitati, in eo dominanti: Vt si morbi origo caliditas, refrigerantes constitutiones petendę; si frigiditas, calefacientes; si humiditas, exiccantes; si siccitas humectantes. Atq; siderum habitus eligatur semper similis medicamento, cum relatione ad optatum effectum: etenim Astra cum sint causę vniuersales, concurrunt cum particularibus iuxta horum naturam; nam aliàs si vniuersalia dissentiant à particularibus, perturbatur, & annihilatur effectus.

Huc vsq; adeo trita est doctrina, vt si quis inficias eat, se solum iturum sciat.

Cæterum omnis difficultas iuxta praxim consistere videtur, tum potissimè, quod apud Authores varię inter se, atq; diuersę apparere videntur institutiones, & pręcepta.

Et primò in genere notanda est distinctio efficiendarum rerum:

rum:

rum: nam vel confortandæ sunt partes, & roborandæ medicamentis, quæ nimirum fouent, nutriunt, & augent; *Vel* violentis solutiuis promouenda expulsio; vel adhibenda ferrum, ignis, cucurbitulæ, & similia.

Quoniam vero luminaria inferunt qualitates suas cælestes in feriorem hanc plagam, & maximè ad loca, & partes corporis illas, quæ subijciuntur signis, & quartis, quibus ipsa lumina, tum etiam Horoscopus inhærent. Deducitur generricum omninò seruandum, quæcunq; fouent, nutriunt, roborant, & augent, applicanda esse partibus ægentibus, quando luminaria stipata beneficis lustrant Cæli, & mundi quartas, & signa Zodiaci, quæ præsunt partibus, & humoribus illis. Et sanè quidem optima id ratio suadere videtur; iam enim operibus luminarium applicando quæ fouent, coquunt, & augent, cooperamur ad coctionem, & augmentum. Quòd si tunc è contra adhibeamus violenta, à quibus abhorret natura maximè si luminaria tunc malefico infortunarum afficiantur, infelicem effectum paramus; nam & corrumpimus ipsas cælestes qualitates, & ipsa membra, & humores, quæ tunc facta cælesti influxu incumbunt ad coctionem, robur, & augmentum, perturbamus, vt desistant: tandem quoniam tunc calore, & humiditate cælesti rarefiunt, & tenerescunt, de facili concipiunt & admittunt ex violenta causa putredinem.

Eadem autem ferè ratio videtur sicut in Crisi, in qua cùm fiat colluctatio naturæ cum morbo, videlicet calidi natiui cum qualitate putrescente, nullum tunc violentum adhibendum, vt iure optimo præcipiunt Artis Medicæ Professores; quin immò eis inferenda roborantia, quæ ipsi naturæ opem, & auxilium præstent ad victoriam, & salutem.

Rursus si applicemus quæ coquunt nutriunt, & augent, partibus illis corporis, & humoribus, quæ tunc à luminaribus magis præcipuè non respiciuntur, nihil vel admodum parum proderunt, quippe ad quæ tunc luminaria, vt causæ vniuersales

minimè

minimè incumbunt. Cum enim luminaria rarefaciant validissimè, vt patet præ cæteris in fluxu, & refluxu maris, patefaciunt partes quas à signis & domibus respiciunt, ad admitenda Pharmaca roborantia.

Sicut è contra si tunc applicemus violenta, obesse non poterunt, quod non obsistunt causæ vniuersales; interim vel extrahemus vel dissipabimus quæ corrupta sunt; atq; exonerando partes illas, reliquemus aptiores, & agiliores vt coquantur, & reparentur à luminaribus cum primum peruenerint ad loca, & signa, quæ partibus illis influunt, vnde sequuntur Crises bonę: & hac de causa humores, & sanguis minuendi sunt antę primam Crisim, si nimis affluant &c.

Quandoquidem Ars medica alias pręclarissima hoc vnọ pręstare videtur scilicet leuando, & liberando vitales qualitates à qualitatibus corrumpentibus, quo sua illę munera liberè exercere possint, in quo consistit sanitas vt diximus: nam si & ipsas vitales qualitates vel directè suscitare, & intendere, vel prorogare, vtique & immortalem efficere hominem posset. Qualitates enim vitales in vltimo senio absq; passione extingui testatur Philosophus agens de iuuentute, & seneđ, cap. 14. Quibus ideo non apparet modus succurrendi vt optime censuit Galenus loco supra citato. Ad summum fouentibus, exempli gratia, aromatibus, & fomentis excitari possunt ad actum, cum ex vi morbi, vel frigoris imbec illes euaseruṇt: & hoc sanè si pręexistant potentia: nam in vltimo senio vbi, & secundum potentiam absumptę sunt, nulla amplius apparet vis ad actum illas reuocandi, vt pote in quo seminale calidum quod secundum potentiam pręexistit, penitus ad actum absumptum est: itaquod inter calefactum lapidem, & supermi senis corpus nullum discrimen pręexistentis potentię ad vitale actu calidum appareat.

Ex his autem infertur quoad Pharmaca solutiua, vel quocunq; modo violenta; si minuenda sit Bilis flaua, quæ calida, & sicca

ficca est; in genere cauendum à signis, & quartis igneis tàm Zodiaci, quàm Mundi, & à Stellis fixis calidificis, vnde optima ratione Hippocrates, & Galenus pronunciarunt *in exortu Caniculæ difficiles esse purgationes*, subintelligendum in morbis è flaua Bile oriundis, qui Æstate maximè vigent: Nam è contra tunc soluuntur morbi hyemales scilicet frigidi, vt ipsimet testantur. Cauendum igitur à Marte, & à calidificis signis, & quartis; tum etiam à Nouilunio, & Plenilunio, in quibus fit ingens rerum omnium commotio; tum denique à fixis clarioribus calidificis; Sed ponatur Luna in signis, & quartis humidis, & frigidis communicata Veneri, & Pharmacum sumatur antè Solis ortum, etiam ante auroram si fieri potest; quod tempus frigidum, & humidum est.

E contra si per accidens fouenda, vel nutrienda sit Bilis flaua, eligantur signa, quartæ, & sidera ad hanc rem &c.

Si minuenda sit atra Bilis cauendum à signis, & quartis terreis, & à Saturno: non sit Luna sub Solis radijs, neq; in vltimo quadrante à Sole, & maximè sit libera à radijs hostilibus ♄, sed potius communicata Ioui, & Pharmacum sumatur post Solis ortum.

Si purgandi sint Sanguis, vel Pituita, spectandum à qua causa corrumpantur an à Saturni frigiditate, an à Martis calore, & iuxta exigentiam contrariæ qualitatis, eligenda tempora, in quibus tum Signa, tum Planetæ, tum Quartæ Zodiaci, & Mundi conducunt: Vt si purgandus est Sanguis, iungatur Luna Ioui felici familiaritate, & sit ♃ à maleficis liber, validus, & angularis: quod si Sanguis flaua Bile affectus sit, iungatur ♃ Veneri, vel Luna vtriq;, vel vterq; respiciant Horoscopum: vel ♃ eleuetur supra ♂. Quod si Sanguis affectus sit atra Bile eleuetur ♃ supra ♄, cum auxilio ♀.

Si vero purganda sit Pituita iungatur Luna Veneri simili modo seruatis cunctis prædictis: & si minuenda sit, minuatur Luna lumine,

Item

Item ad minuendas, vel purgandas Biles ponatur Luna separari à Planeta, cuius est Bilis, & absit à quarta illius humoris: applicet verò Planetæ aduersæ naturæ. Sitq; Planeta humoris secundum vires debilis, & super ipsum eleuetur beneficus eiusdem sectæ, vt supra ♄ Iuppiter, supra Martem Venus: vel si non possint sociari radijs: ponatur Luna colligere eorum radios, quod crebro fieri potest, ita tamen, vt beneficus ponatur cardini propinquior, & sic eleuabitur supra maleficum.

In reuellendo fluxiones iuxta quod docet Galenus de Arte curatiua cap. 2. *ad contrarias scilicet partes*; non sit Luna in Signo, & Domo membri ad quod ipsas fluxiones conuertimus, neque in Signo membri iam oppressi, sed è propinquo ingrediatur, si fieri potest, & nisi corpore, benigno radio.

Ad Phlebotomiam, vel adhibendum quocunque modo siue ferrum, siue ignem, siue quid aliud violentum: cauendum ne Luna maneat in Signo, vel Domo, quę illi membro prosunt, sed neq; ascendat in Horoscopo, maximè si tunc accidat maleficos in angulis poni. Quodsi vrgeat Phlebotomię vsus educatur Sanguis ex alio membro. Item vitetur coniunctio, & radius hostilis Lunæ cum maleficis, & cum Sole: non sit iuxta ☋ & ☊. Si demum hæc omnia, & singula, quę dicta sunt, non possint caueri; ponatur ● cadere ab angulis, & obseruentur quę obseruari poterunt ad minus videlicet malum. Membra vero, corporis partes, & humores quibus nam signis subijciantur patet ex cap. 23.

Ad morbos animi quoscunq; curandos: Quoniam vt diximus huiusmodi morbi constitutio cęlestis, ex verbis Ptolemęi est eleuatio maleficæ super Lunam, & Mercurium, vbi nulla ad inuicem familiaritate iunguntur, vel etiam super Solem: conuenit è contra iungere ipsos benigno radio, & super ipsos eleuari beneficas eiusdem sectę; vt si ♄ sit author morbi, ponatur eleuari ♃; si vero ♂, eleuetur ♀. Sint autem ☼, ● & ☿ iuxta partem lęsam, cui quilibet eorum pręest, prout cap. 27. diximus,

à ma-

á maleficis liberi, & eligantur signa, & quartæ Zodiaci; & mundi aduersæ humori corrupto; qui morbi author est.

Ex his autem facillimum erit colligere electionem ad vniuersum morborum genus curandum: si peritus medicus cognita natura morbi tum à signis apparentibus in ægroto, tum è constitutione Decubitus, tum ex nouilunio, vel plenilunio præcedente, eligat siderum habitus ad rem suam iuxta opus explēdum; distinguendo in fouentibus, in violentis soluentibus, & in violentis ad extra &c.

Obseruatum ab antiquis traditur; Lunam in signo ruminante, quæ sunt ♈ ♉ ♌ & ♑ inferre vomitum Pharmaci, à quibus ideo cauendum, & sumi possunt ad prouocandum vomitum, cum fuerit opus; excepto ♌.

Circa electionem non prætereundum prætiosissimum monitum, quod non tantum ratio suadit, sed experientia perpetuò verissimum esse comperi. Quod vt intelligatur.

Notandum primo, causas in Cælo omnis in terra mixtionis, & perfectionis cuiuscunq; bonæ rei, & maximè valetudinis, esse sidera benefica quæcunq; Atq; omnis ægritudinis, imperfectionis, & destructionis, esse sidera malefica, & vnumquodq; sidus in suo genere qualitatis. Substantiam vero corpoream referri ad Solem, Lunam, Horoscopum, & partem Fort.

Secundo, non contingere malam aliquam alterationem in substantia, ideoq; nec Decubitum, nisi moderatores substantiæ hostiliter lædantur à maleficis; sed neque bonam & felicem, nisi foueantur à beneficis.

Hinc autem patet quantum commodi, & vtilitatis præstare valeat de sideribus scientia: nam si incipias opus bonum quodcunq; in Astrorum maleficorum habitu hostili erga moderatores illos præcipuè conditionarios, nunquam vel rarissimè perficies, vel non integrè, vel non perseuerabit, vel non præstabit commodum, vel inde malum aliquod sequetur longè grauius, quam vtile sit adeptum bonum. E contra dum bene-

ficæ benignis radijs, vel coniunctione, vel Parallelo fouent moderatores illos maximè conditionarium, alias à maleficis immunes, non tantum ſequetur bonum, & feliciter, ſed inſuper dico, quod nihil mali timeas, neq; inter medios agminum pugnas, vt ita dicam, quoniam tunc non dabitur pugna; millies enim in huiuſmodi habitu cæleſti felici audiui ignitas plumbeas glandes caſſas præter intentionem dirigentis vltra progreſſas.

Colligitur ex his neminem artis medicæ Profeſſorem ad infirmorum curas quolibet die egreſſurum fore, niſi cæleſtis vultus lineamenta in Ephemeride prius fuerit, ſaltem breuiter contemplatus,

Tandem quoniam Hippocrates, & Galenus affirmant, *ſub Cane, & ante Canem difficiles eſſe purgationes*: ſciendum duos poni in Cælo Canes maiorem, & minorem, & vtrumq; naturę martiæ calidæ:Minor Canis in noſtro hoc Horizonte oritur cum gr. 2. ♌. maior vero cum gr. 10. ♌. Cum autem Canis maior in latum inclinet ad Auſtrum, fit, quod mane Sol, & ante, & poſtquam exortus eſt, videlicet infra & ſupra Horizontem, congrediatur cum ipſo aliquot diebus ante verum exortum cũ eodem Cane, in horis videlicet, in quibus medicamenta exhiberi ſolent: Immò tunc Sol infra, & ſupra Horizontem congreditur cum vtroq; Cane; adeout grauiores, & calidiores ſint dies antecedentes verum exortum Solis cum Cane maiore. Quapropter cenſendum eſt quod Hippocrates, & Galenus verbis illis ſub Cane intelligant verum exortum maioris Canis cum Sole, qui in hoc Horizonte contingit prima, ſecunda, & tertia die Auguſti: At pro verbis illis, ante Canem velint à die exortus minoris Canis, qui in hoc Horizonte accidit die 23. 24. & 25. Iulij, atq; omnes reliquos dies vſq; ad diem 3. Auguſti incluſiue; quos ideo iure optimo Caniculares rigoroſè vocare licet.

Quod verò Hippocrates, & Galenus verbis illis ſub Cane intel-

intelligant plures dies post eius exortum cum Sole, vt aliqui interpretantur; nulla omninò ratio apparet astronomica, nisi censeamus ratione vniuersalis caloris æstatis; quod est aliud loqui. Quod si dicatur ratione occasus, & culminationis: Sol & syrius incipiunt hos congressus die 23. Maij, & post exortum cosmicum nullo amplius modo congrediuntur.

Ex hoc autem sequitur non esse spernendos exortus aliorum quoq; nonnullorum siderum.

Hircus oritur die 4. 5. & 6. Martij.

Pleiades oriuntur die 5. 6. & 7. Maij.

Aldebaram die 2. 3. & 4. Iunij.

Basiliscus die 16. 17. & 18. Augusti.

Cor Hydræ die 24. 25. & 26. Augusti: hæc stella refert veneficam naturam.

Arcturus die 27. 28. & 29. Septembris.

Antares die 29. 30. Nouembris, & primo Decembris, quę stella calidifica est, venefica, & malignæ naturæ: cæteræ calidificæ sunt.

Occasus verò, & culminationes fixarum cum Sole licet plurimum alterationis temporis vespertini afferant; tamen quoniã vespertinum tempus parum aptum est ad opera medica, immò potius omninò ineptum, quod in ipso non rarefactio, sed condensatio contingit, & bilis augetur; hi congressus tuto negligi possunt; & si ab aliquo desiderantur, ponuntur ab Argolo, Magino, & alijs.

Ne vero in hoc capite partẽ aliquã ex qua commodum oriri possit, negligamus: ad electionem in qualibet re, si momentum natalis notum sit, oportet meminisse eorum, quæ cum Principe Galeno diximus cap. 16. quare in omnibus, & vbiq; cauendum est à transitibus tam actiuis, quam passiuis infortunarum erga loca natalis: ne hic diutius nos remorentur, positi sunt in pluribus ęgrorum exemplaribus infra.

LAVS DEO.


TABELLA DIGNITATVM

In hunc locum translata commodi gratia.

Signa	Domus	Detrimēta	Exaltatio	Casus	Trigoni	Fines seu Termini Ægyptiorum.				
♈	♂ D	♀	☉	♄	☉ ♃	6 ♃	12 ♀	20 ☿	25 ♂	30 ♄
♉	♀ N	♂	☽		♀ ☽	8 ♀	14 ☿	22 ♃	27 ♄	30 ♂
♊	☿ D	♃			♄ ☿	6 ☿	12 ♃	17 ♀	24 ♂	30 ♄
♋	☽	♄	♃	♂	♂ ♀ ☽	7 ♂	13 ♀	19 ☿	26 ♃	30 ♄
♌	☉	♄			☉ ♃	6 ♃	11 ♀	18 ♄	24 ☿	30 ♂
♍	☿ N	♃	☿	♀	♀ ☽	7 ☿	17 ♀	21 ♃	28 ♂	30 ♄
♎	♀ D	♂	♄	☉	♄ ☿	6 ♄	14 ☿	21 ♃	28 ♀	30 ♂
♏	♂ N	♀		☽	♂ ♀ ☽	7 ♂	11 ♀	19 ☿	24 ♃	30 ♄
♐	♃ D	☿			☉ ♃	12 ♃	17 ♀	21 ☿	26 ♄	30 ♂
♑	♄ N	☽	♂	♃	♀ ☽	7 ☿	14 ♃	22 ♀	26 ♄	30 ♂
♒	♄ D	☉			♄ ☿	7 ☿	13 ♀	20 ♃	25 ♂	30 ♄
♓	♃ N	☿	♀	☿	♂ ♀ ☽	12 ♀	16 ♃	19 ☿	28 ♂	30 ♄

SEXAGINTA DECVMBENTIVM EXEMPLA E GRAVISSIMIS AVTHORIBVS DESVMPTA

In prædictarum rerum cum atteſtationem tum euidentiam.



AD HVMANISSIMVM LECTOREM.


PROPOSITIONES, & ſententiæ, quæ de rebus naturæ occultis à Philoſophiæ Profeſſoribus in medium exponuntur, poſtea quam rationibus demonſtratæ fuerint atq; clariſſimorum Doctorum axiomatibus roboratæ nullo tandem euidentiori, & firmiori niſu, quam Exemplis ad oculum apud ipſammet rem confirmari poſſunt, vt pote in quibus, & veritas refulget iam traditæ doctrinæ, & methodus oſtenditur ſeruanda, facilioris vſus gratia, vbi ad praxim dirigatur, vt in caſu noſtro. Euolui ſummos in hac Diſciplina Authores, e quibus Exempla Decumbentium 60. delegi notatu digniora, quæ ſatis eſſe duxi huic breui Epitomæ ſubijciendo, & inuenies exhibita aliquo ordine, quæ videlicet ſimilis morbi iuxta inuicem, & incipiendo à morbis capitis deſcendunt ad inferiores corporis partes: quibus illicò mente concipies ſingulorum in ſpecie morborum ſuum cæleſtem habitum: ipſam etiam adnotationem grauitatis, & qualitatis morbi, & partis affectæ ſecundum vniuerſam ſupra expoſitam doctrinam per ordinem diſpoſui: Breuitatis verò gratia in vnoquoq; Exemplo non omnia & ſingula expreſſi, quæ ſupra tradita ſunt præcepta, ſed tantum ad rem potiora, nihilominus modo in vno, modo in altero omnia ferè, quibuſdam reliquis ad prudentiam, & ſtudium Lectoris commendatis. Pro collocanda Parte Fortunæ iuxta meam

ta meam sententiam, & methodum, quam in Primo Mobile, suadente Clariss. Negusantio nuper exposui perfacilis modus, & sufficiens in figura Decubitus talis esto. Apud Tabulam Domorum data eleuationis Poli, ponatur Sol, siue dicamus gradus Solis in Horoscopo, tuncue obseruetur in quā Domum incidat Luna, & in eadem apud Decubitum ponatur Pars Fort. immò cum eadem distantia à cuspide, iuxta Lunæ distantiam ab eadem cuspide oriente Sole, obseruando etiam latitudinem Lunæ si ampla sit, maximè in signis breuium siue ascensionum, siue descensionum, vbi Luna notabiliter vel eleuatur, vel deprimitur, atq; tali modo Pars Fortunæ satis benè pro Decubitu collocata erit. Memineris quoque studiose Lector, quod superiores tres Planetæ censendi sunt orientales vbi matutini, videlicet quando oriuntur post Solis occasum; siue dicam quando oriuntur de nocte. E contra inferiores tres, vbi vespertini, scilicet quando occidunt post Solis occasum; siue dicam quando oriuntur de die: tunc enim quoniam descendunt ab Apogæo Epicycli augentur lumine. Sunt verò occidentales in altero conuerso erga Solem habitu, vbi quoniam ascendunt à Perigæo minuuntur lumine; Cuius rei meminisse oportet vt intelligatur methodus contemplationis Exemplorum Decumbentium, quæ subijcio. Cæterum hoc loco non me piget monere Lectorem, dum superioribus Annis Typis cuderentur Tabulæ Primi Mobilis meæ ad calculum Directionum, errorem ibidem editum esse in Canone 36. ad nu. 4. pagin. 48. vbi incipit. Per regulam auream quære: si horaria tempora nocturna Solis dant hanc eius distantiam &c. *Lege hoc modo.* Per regulam auream quære: si horaria tempora nocturna Solis sumpta ex gradu illo Zodiaci, ad quem Sol peruenerat directione ficta, dant hanc eius distantiam &c. *Et paulo infrà in Exemplo corrige ita.* Quo circa iterum per regulam auream quæro si horaria tempora gr. 15. 16. quæ sunt p. 18. m. 58. dant &c. *deinde corrige totum calculum, in quo aderit aliqua differentia, modica tamen. Sed vide si placet hanc eamdem Methodum in Cælesti Philosophia pag. 274.*

Decu-

I.

Decubitus Gregorij XIII. ex Argolo.



Ex Morbo à Capite oriundo.

REfert Argolus quod ægrotauit animi deliquo, & pluries repetito, & eadem die, & ſequentibus, cum febre: & die 10. Aprilis obijt.

Grauitatem morbi declarat ☽. in Parallelo Declinationis ♂. & □. coſmico ♄. conſtituta, quæ maleficarum qualitates quadrato radio ad Solem transferebat. Sol vitæ moderator ſub Parallelo Declinationis ♀. infelicis à ſigno ſui caſus, ſeſquiquadrato coſmico ♂. & Declinatione ♄. ad quam propius accedebat: interim, Soli nullus benificorum ſuccurrebat: ad Lunam

verò sex tilis ♃. & ♀. nihil vel parum prodesse valuit, quoniam illi cum ☋. & malefici robustiores, tandem Luna neq; vitæ moderatrix, neq; conditionaria.

Quoad speciem morbi, Sol in ♈. Luna in finibus & in △. ☿. culminantis in ♓. ille in culmine, hæc vero in Horoscopo, significant morbum in nobilioribus corporis partibus, & maxime in capite, & partibus spiritualibus, qui tamen a ventriculo, & eius affectibus ortum duxisset, ob situm ☽. in ♋. infeliciter collocatæ.

Velocitas morbi ex vehementia maleficorum, tum è signis mobilibus, tum deniq; ex augmento ☽. obijt autem in 4. vbi ☽. expleuit gradus 45.

Si credimus Professorum Aphorismis ☽. domina Ascendentis manet sub □. ♄. domini 8. domus.

Symptomata deliquij animi repetita sumi debent tanquam malæ Crises, quoniam morbus sub huiusmodi specie deliquij exorsus fuerat. Dicit verò Argolus quod hæc Symptomata etiam eadem die plura apparuerunt, ex quo patet fieri Crises etiam per partes diurni circuitus in morbis videlicet peracutis. Constat autem hunc morbum inter peractos enumerari, quippe in quarto qui tetigit finem.

Apud Natalis Horoscopum Argolus ponit oriri gr. 9. ♌. in suo opere de Dieb. Criticis: Maginus vero in suis Ephemeridib. ponit gr. 24. ♌. quod si medium accipiamus itaut oriantur gr. 15. ♌. Horoscopus peruenit ad sesquiquadratum ♂. & erat ♂. inter Pleiades, expleta autem Directione ascendebant gr. 16. ♎. & in Culmine ponebantur gr. 19. ♋. itaquod Luminaria à Decubitu Sol ex aduerso, Luna in quadrato, Mars verò super verum gradum Horoscopi natalis ponerentur. Et notandum quod in natali, Martis latit. est gr. 2. 2. Sep. & Mercurij verus locus in gr. 15. 0. ♒. similiter ☽. ponenda in gr. 10. ♑.

Rursus notandum celebratum fuisse ante Decubitum Nouilunium ex aduerso loci Directionis Horospi, idest in gr. 11. ♈.

in coniunctione ibi ♄. & in □. ☉. natalis: illud enim semper horrendum est, nouilunium, vel plenilunium immò & quadraturæ infelices iuxta loca obnoxia vel radicis, vel Directionis infaustæ: id quod Ptol. innuit lib. 4. cap. finali. Cauda Draconis cum vtroque benefico, quibus de sextili iuncta erat Luna, etiam virus innuere videtur; maximè quod Luna scanderet cum stellis fixis Orionis, & Geminorum mixtæ naturæ.

Pars Fortunæ in quarta domo sub oppositione ☿. & □. Lunę.

Quatuor, qui sequuntur Decubitus non referunt quidem morbum in capite, attamen summæ dignitatis gratia placuit inter primos collocare; deinde sequemur assumptum ordinem.

I I.

Decubitus Sixti V. ex Argolo.

Decubitus diurnus est, & præcesserat nouilunium die 31. Iulij cum totali Solis Eclipsi circa 11. Domum in gr. 8. ♌. iuxta ☍. ♄. natalis, sed in eius exquisito Parallelo Declinat. atq; Parallelo ♀. & in situ cosmico eiusdem atq; ♄. □. Vide natalem apud Argolum.

Cum verò morbi author Mars, ad cuius quadratum Sol in natali vitæ moderator Directione peruenerat: atq; in nouilunio Mars nullo cum luminaribus radio copularetur, expectata est Luna vt in plenitudine suæ lucis, vbi calefacit validissimè ex aduerso oppoueretur Marti: quod contigit iuxta Saturni natalis locum.

Sol in Decubitu vitæ moderator, & lumen conditionis in Declinatione ☿. qui iunctus erat Marti: item Sol cum Basilisco fixa æstuante; & ☉. ad eius oppositionem properabat deferens Martis qualitates.

Apparet ergo in morbo nimia caliditas ob Solem in ♌. cum fixa calidissima, & in quarta mundi calida: & ob ☍. ♂. partilem per longum, & latum ad Lunam plenam luminibus.

Latit.
♄ 1.42.M.
♃ 1.16.S.
♂ 0.11.S.
☉
♀ 2.6.M.
☿ 2.40.M.
☾ 0.22.M.

Decl in.
♄ 21.45.
♂ 18.27.
☉ 14.33.
♀ 21.23.
☿ 15. 8.
☾ 19. 0.



Species morbi: Mars principalis author cum corde Hydræ: cum ☿. & ☊. in Parallelo coſmico ♃. ♄. & ♀. exiſtentes in 8. & ♀. afflicta à Parallelo ♄. Iuppiter in □. coſmico ♄. videntur poſſe ſignificare virus, & in Pulmonibus prauas affectiones. Luna cum ☋. in ſeſquiquadrato ♄. qui, vt diximus, eleuatur ſupra ♀. idem oſtendit.

Grauitas ex luminarium infelici habitu: attamen ab initio morbus non apparuit acutiſſimus ob aliquam ſolis libertatem in propria domo: neq; velocis motus; quoniam luminaria, & ♂. in ſignis fixis morabantur.

Mortuus eſt ætatis Anno 68. & menſib. 8. expletis: Quod ſi horis Natalis addamus dies 68. & horas 16. perueniemus ad diem 19. Februar. cum hor. 11 ferè ſequentis Anni 1522. Vbi

Luna

Luna inuẽta est in gr. 27. ♓. opposita videlicet suo Natalis loco; itaquod esset Annus, & tempus climactericum: & fuit ♄. in Decubitu, & decessu in gradib. 26. ♊. eidem ex aduerso oppugnans, in testem huius veritatis.

Pars Fortunæ in sexta Domo sub radijs hostilibus omnium Planetarum.

Et notandum quoad dies Criticos; quod febris in prima hebdomada tertianæ exquisitæ seruauit periodum: in 7. quæ fuit 20. Aug. & per totam sequentem hebdomadam continua facta est: in 11. quæ 24. Aug. adhuc grauior apparuit indicans futuram Crisim grauissimam: etenim in 14. extinctus est æger, quæ fuit 28. hora 23. in qua oriebatur Mars, Luna ex aduerso occidebat, qui in Decubitu similiter oppositi ad inuicem in cadentibus ponebantur. Luminaria verò inuenta sunt in proprio sextili cosmico.

I I I.

Decubitus Vrbani VII. ex Argolo.

SOL luminare conditionarium in octaua mortis Domo, cum □. ♄. in finibus ♂. absq; auxilio beneficorum vllo. Luna in Parallelo Declinationis ♂. exquisito, & quadrato Veneris in finibus ♄. ♄. dominus Horoscopi in 6. Mars in 8.

Morbi qualitas apparet mixta, pluribus de causis. Sol in signo communi in quartis Zodiaci, & mundi calidificis, sed cum □. ♄. Luna in quartis ad Solem, & in Zodiaco calidis, sed in mundo frigida, & in □. ♀. Venus ab occasu frigiditatem addit. Cum verò maneat iuxta caput Draconis, & ☋. in ortu, & ☉. in □. ♀. ⚹. ♄. △. ♂. in mundo, & ☍. ☿. & fixis maleficis poterant etiam virus demonstrare quod innuit Argolus.

Obijt ætat. ann. 69. & mensibus 2. expletis. Si ergo Horis Natalis addamus dies 69. & horas 4. perueniemus ad diem 12. Octob. cum horis à merid. 23. eiusdem Anni 1521. vbi Luna

Latit.
♄ 1.52.M.
♃ 1.12.S.
♂ 0.17.S.
♀ 0. 0.
☿ 1.28.S.
☾ 5.0.M.

Declin.
♂ 11.47.
☾ 11 46.

Cum ☾ Caput Medusæ, & Cete.



lustrat gr. 12. signi ♓. locum scilicet sui ipsius in Natali ad vnguem oppositum; adeo quod esset verum momentum climactericum.

Si spectemus quod præcessit Nouilun. quoniam Decubitus diurnus est, celebratum fuerat in gr. 6. ♍. super locum ☾. radicis, & ex aduerso loci climacterici.

Dies 27. Sept. in qua obijt fuit 10. à Decubitu, vbi ☾. attigit suum Trigonum.

Horoscopus in Natali erat vitæ moderator & peruenit Directione ad □. ♄. ab Imo nam pro annis 69. Arcus Directionis est p. 63. cum semisse ferè, fuit autem ♄. in Decubitu iuxta Culmen natalis, in □. scilicet Horoscopi. Succedebat loco Directionis □. ♀. quæ ab ☍. ♄. defluebat manens iuxta Hydram,

ad

ad qualitatem morbi demonstrandam iuxta quod Ptol. docet lib. 4. cap. vlt. Præterea tempore Directionis in Horoscopo inuentæ sunt stellæ Serpentis.

Pars Fortunæ iuxta Solem sub □.

IV.

Decubitus Clementis VIII. ex Argolo.

Ex Hydrope.


Decubitus diurnus est, cumq; nec Sol nec Luna fieri possint vitæ moderatores, remanet Horoscopus, vbi Mars, & radij quadrati Saturni à Culmine.


Erat verum momentum climactericum: nam si Horis Natalis addamus dies 69. perueniemus ad diem 4. Maij eiusdem Anni 1536. cum ijsdem horis Natalis, vbi Luna ponitur in gr. 1. ♏. ex aduerso scilicet sui ipsius Natalis exquisitè, cum □. ibidem Martis.

Præcesserat Decubitum Nouilunium, (erat enim Decubitus diurnus) in gr. 1. ♒. in radio □. eiusdem Lunæ tum à Natali, tum à loco climacterico, & fuit ●. cum Declinatione ♄. radicis.

In Decubitu Luna super eumdem ♄. Sol ex aduerso. Qualitas morbi, mixta ex vtroq; malefico: cum verò robustior sit ♄. quod orientalis, quiq; morbi author erat ex Directione Horoscopi Natalis ad eius ☍. vnde luminaria ad eiusdem radios manebant in Decubitu: Sol in quarta Zodiaci hyemali; Luna in quarta mundi autumnali, plena luminibus, cruditatem frigidi humoris innuunt: Saturnus à Culmine ipsam auget: Mars in Horoscopo incendit ad febrim. Sed quoniam Venus, immò & Iuppiter, qui infelix in ♑. manentes in Parallelo Declinationis Saturni robustissimi, qui super ipsos eleuabatur; & ●. in sesquiquadrato Veneris à 6. Domo, Hydropem ex

Epatis,





Obijt Ætatis annorum 69. expletis.



Epatis, & fortasse etiam Pulmonum affectionibus frigidis, ad vituum ostendunt, maximè culminante ♀. & existentibus ♄. ♃. ♂. ☉. ♀. & ☿. in signis inferiorum corporis partium, quæ ad Hydropem potissimè conducunt: trahunt enim illo copiam frigidi, & crudi humoris. Morbus autem aliquandiu productus est ex authore Saturno.

Pars Fortunæ in septima Domo sub radijs hostilibus maleficarum.

Notandum verò fines, in quibus Sol manet iuxta Ægyptiorum Tabellam esse Iouis: Diximus autem in Cælesti Philosophia fines medios omnium quatuor signorum fixorum optima ratione debere tribui maleficis: in hoc autem Decubitu Sol lumen temporis nullo maleficorum radio affligitur; verisimile

igitur


igitur est fines in quibus ipse manet maleficorum naturam sequi.

Quoniam vero Hydropis causæ ex Galeno de locis affectis lib. 5. cap. 6. plures, & diuersæ sint. *Ergo*, ait Galenus, *ob refrigerationem Iecinoris, in sanguinem mutari cibus non potest, refrigeranturq; cum illo totius corporis venæ: sæpe numero etiam, nullo tumore apparente in Iecinore, æger aqua inter cutem corripitur, vel ob vitium lienis, vel ieiuni, vel alicuius intestini tenuioris, aut mesenterij, aut pulmonis, aut renum, aut immodicum hæmorrhoidum, aut mensium profluuium, aut ob suppressionem menstruorum, aut ob alium momentaneum affectum. Ex intempestiua præterea frigidæ potione Iecur affatim refrigeratum, statim aquam inter cutim inducit &c.* Quas cunctas causas ad vnam summam, & potissimam Galenus videtur reuocare lib. 2. de natural. facul. *Est enim* ait ibi, *ea prima generandi Hydropis causa, quæ ex sanguificationis defectu procedit: simili genere, atq; ex ciborum coctionis defectu diarrhœa, &c.* Defectus autem proculdubio ex noxia frigiditate procedit: ideo fit vt Hydropis in Cælo causæ sint semper ♄. & quadrantes autumnales, & Hyemales, cum læsione Veneris, & Iouis ab eodem ♄. & maximè in signis & domibus mediorum, & inferiorum corporis partium: dum interim Luna paruo lumine licet, & maximè si decrescat; nunquam concurrente Marte ad ♃. & ♀. nam si ad eos concurrat prohibet refrigerationem, & vertit morbum in aliam speciem: quod si ♂. lædat moderatores vitæ subinfert febrim ad interitum; sicut in hoc exemplo, vbi ♂. lædit Solem & Lunam Parallelo cosmico, Horoscopum præsentia, & Partem Fortunæ diametro: vide infra exemplum 26. & 27. eiusdem in specie morbi.

Decum-

V.

Decubitus Gregorij XV. ex Argolo.



SOL luminare conditionis, dominus Aſcendentis, & vitæ moderator, quamuis de hoc dubitari poſſit, quia Sol nondum ſatis eleuatus eſt à 12. domo, Martis oppoſitione affligebatur, remotis beneficis omnibus. Luna dum ſe separaret à ♃. & ♄. ſed cominus à ♄. iungebatur Veneri, & hæ ambæ cum Syrio oriebantur, manente ☉. cum Declinatione eiuſdem Syrij, immò & Aldebaram, Baſiliſci, Caudæ Leonis, & Lancis auſtral. Quare demonſtratur ex præcedente cáuſa frigida accenſam apud ſtomachum eſſe acutiſſimam, & calidiſſimam febrim: nam frigus illud magnum, quod in externis corporis partibus æger patiebatur, vt refert Argolus innuebat

calo-

calorem extraneum ad intra validissimè agentem.

Notandum autem est, quod in vero Natali ascendunt gr. 5. 52. ♎. Argolus in medio figuræ ponit horam 9.46. à merid. ad quam saltem ascendunt gr. 29: ♍. in Annis igitur 69. cum semisse ferè Saturnus Directione positus est in Imo emittens quadratum ad Horoscopum, ita quod ♄. morbi author fuerit, qui in Natali possidens centrum 6. Domus ægritudinum, iam diuturnum præcessisse aduersæ valetudinis habitum declarabat.

Erat verum momentum climactericum: nam si pro Annis 69. & mensibus 5. quos vixit Gregorius, addamus horis natalis dies 69. & horas 10. perueniemus ad diem 19. Martij cum horis 20. P. M. Anni 1554. vbi Luna ponitur in gr. 21 ♎. opposito loco eiusdem in Natali: habebat autem ibi Luna Declinationem, quam ♄. ♀. & ☿., qui simul coniuncti erantur in ♓.: ♃. verò infelix à signo ♍. eisdem opponebatur.

Fuit autem celebratum ante Decubitum Nouilunium in gr. 6. ♋. in Culmine scilicet Natalis, seu in □. Horoscopi, & ♂. in gr. 13. ♑. Imo Cæli loco, quadrato radio eumdem Horoscopum affligebat; tum etiam diametro prædictam luminarium Synodum.

Pars Fortunæ in secunda Domo sub □. & Parallelo cosmico Martis.

VI.

Decubitus Ioannis Columnæ Patriarchæ ex Argolo.

Ex Apoplexia.

ANNO 1628. cerebri affectibus excruciatus, vt refert Argolus; Apoplexia hic corripitur cum priuatione sensus, & motus totius dextræ partis: pars autem dextra Soli subijcitur teste Ptolemæo lib. 3. cap. 16. Porrò si Solem spectemus, inueniemus in □. cosmico partili Saturni, applicantem ad

Latit.
♄ 0. 4.S.
♃ 1.36.S.
♂ 0. 8.S.
♀ 1.30.S.
☿ 0. 0.
☾ 4.17. M.

Declin.
♃ 2.15.
♀ 1.18.
☿ 3.29.
☾ 3.15.

1637. Apr.
D. H. M.
7. 0. 40. M.S.

♄ 24.35.

□ eiusdem in Zodiaco: Item Sol sub Parallelo cosmico ♂. & quoniam ♂. angularis, Sol cadens, Mars super Solem extolli-tur; Iungebatur verò Sol Mercurio Natalis. Et notandum Paroxismum accidisse post Solis occasum in lucis defectu, quo pateat sensus, motum, & vitalem calorem à luminarium apparente nobis luce pendere: vnde contingit quamplures in occasu Solis decedere.

Cæterum sinistra languentis pars seruata est hoc die ratione vnionis ☾. cum ♃. & trini Veneris à natali cum ☾. quæ die sequenti vt separata est, & partem quoque sinistram à vita disiunxit, maximè quod Parallelum Declinationis ☿. & ♄. radicis attigit, plena luminibus ad humorum copiam.

Species morbi à capite, & sensibus, quoniam ☿. in sesqui-quadra-

quadrato Horoſcopi vitæ moderatoris erat: Sol in ♈. ☿. in ♓. ●. in ♍., quæ capitis, & mentis morbos afferunt vt docet Ptolemæus lib. 3. cap. 18. ●. in finibus ♄. & in Parallelo Declinationis ☿. infelicis vtpote cadentis à ſuis dignitatibus, & occidentalis. Ad leuandam verò morbi grauitatem ♃. coniunctus Lunæ non valuit, quippe qui retrocedens, & à ſuis dignitatibus cadens, atq; à Luna valde per latum diſtans, & in contrariam regionem.

Præceſſerat Nouilunium in gr. 6. ♈. cum Parallelo Declin. ☿. ad Solem: ſed Luna Mercurij natalis Parallelo iuncta erat, atq; Maleficarum, quem Parallelum die ſequenti, vbi Luna à gr. 11. ♎. attigit, reliquam ſenſuum, & vitæ partem extinxit. In Decubitu Pars Fortunæ iuxta Solem ſub radijs maleficarum cum eodem.

Notandum igitur: Quoniam capiti in vniuerſum, & magis peculiariter præ cæteris, præſunt Luna Mercurius, ſignum ♈. ſigna humana, & Domus prima; quandocumq; contingit Lunam poni in ♈. vel ſignis humanis, vel hæc ſigna in Horoſcopo, & Lunam, & Horoſcopum lædi à maleficis, vel Mercurium ab iiſdem, morbus in capite ſignificatur.

Notandum item: Quod ſubſequens paroxiſmus redijt ſequenti die, & eadem hora: vt nimirum ſciamus Criſes contingere, & pendere à circuitibus luminarium circa mundum in peracutis videlicet morbis.

Tandem ſciendum Apoplexiam, & Epilepſiam in pluribus ſimiles ad inuicem eſſe; vtraque enim originem primam ducit à capite, vt habet Galenus lib. 1. de Sympt. cauſis. *Sed Apoplexia etiam, & morbus comitialis affecto cerebro fiunt &c.* Item vterq; morbus eſt mitis quædam, & inſenſibilis ſenſuum defectio, ferè vt ſomnium, ita declarat Galenus ibidem: *Verum vt profundus ſomnus &c.* Animi autem defectum ſimilem eſſe, ſed leuiorem, quam ſit Apoplexia, & Epilepſia, certum eſt: In hoc autem exemplo inuenitur de noctæ Mars angularis ſupra

☉. & ☿. eleuatus. In Decubitu vero Greg. XIII. Saturnus angularis de die supra eosdem.

Venus in ♓. in sesquiquadrato Horoscopi, iuncta Mercurio, & in Declinatione ♃. & ☉. potest innuere causam ex intemperantia, & incontinentia; vt infra dicemus.

V I I.

Decubitus Ruricolæ cuiusdam ex Boderio apud Maginum.


Ex Phreniti.

QVidam ruricola morbo phrenetico (vt ex Hermete, & Galeno libro de Decubitu infirmorum colligi valet et de schematibus ☉. in ♈.) laborare cœpit hora supra notata: Luna in hexagona radiatione quadratum subsequente collocata vitam amisit dictus ruricola, quia ☉. intra quinq; gradus caudæ Draconis hora Decubitus copulata erat. Hæc Boderius. Maginus addit Eclipsim Lunæ præcedentem, & □. ♂. ad ☉.

Sol vitæ moderator, & lumen conditionis habet Declinationem Syrij, qui oriebatur in Horoscopo vna cum Procyone, culminante Luna: Quod semper obseruandum iuxta Ptolemæi præcepta in Almagesto lib. 8: fixæ namq; illustriores angulares si luminaribus permisceantur valde pollent: item Sol in finibus ♄.

Luna in ♈. in finibus ☿. cum ☋. & ☿. cadente à domo, & quadrato Saturni afflicta: ambæ inter □. ♂. & ♄. obsessæ morabantur. Luna permutat domum cum ♂. perinde nimirum ac hostiliter se se respicerent: ita Ptolem. lib. 3, cap. 16. dicens. *Rursus quando Venus constituitur in aliquo prædictorum angulorum, maximè in occasu cum ♄. congrediens, aut ei configurata, aut loca mutuo cum eo permutans &c.* Pars Fortunæ cum Marte, ad oppositum ♄. properans, Grauis ergo, & acutus apparet morbus.

Species



Species morbi ex Luna in ♈. & ex authore ♄. qui △.& Declinatione cum ☿. iunctus colligit lumen ☽. & ☿. qui inter se nulla familiaritate sociantur: igitur morbum maximè in capite declarant, & in mente, sicut docet Ptolemæus lib. 3. cap. 18. Ex causa, & qualitate mixta; quia plures authores morbi: & fortasse ex qualitate venefica ob afflictam ☿., & apud Hepatem.


Cæterum obijt vbi ☽ tetigit suum sextilem, & non expectauit Quadratum; quoniam morbus peracutus erat: & Luna atq; malefici in signis mobilibus: in loco illo Luna offendit Parallelum Declinationis Saturni.

VIII.

Decubitus Odoardi Cardin. Farnesij ex Argol.

Latit.
♄ 2. 8.S.
♃ 1.23.S.
♂ 1. 4.S.
♀ 0.29.M.
☿ 3.16.S.
☽ 0.11.S.

Declin.
♄ 8.21.
♃ 11.17.
♂ 16.21.
☉ 13.34.
♀ 20. 8.
☿ 10.59.
☽ 8.54.



A Capite.

EX humorum fluxionibus ad fauces, & partes spirituales, cum difficultate respirandi decumbit die 12. Febr. & die 21. suffecatur.

Sol luminare temporis in ♉. cadens à domo in finibus ♂. iunctus Mercurio retrocedente, qui, cum haberet Declinationem ♄ atq; cum ipso permutaret Domum, communicat Soli qualitates ♄. suasq; corruptas. Communicat quoq; ☿. cum ♃. ex Parallelo Declin. at vero ♃. infeliciter se habet ex ☍. ♂. & Parallelo cosmico ♄. vnde prauas Pulmonum affectiones accipere possumus.

Sol in quarta Zodiaci hyemali, in mundo æstiua. Luna in quarta Mundi hyemali, in Zodiaco, & illuminationis æstiua, eratq;

domi-

domina Horoscopi: Saturnus octauæ. Igitur morbus à materia humida, & frigida, in qua calor ad febrim accensus est, & à capite defluxe ob Mercurium authorem, ad fauces, & pulmones.

Si spectemus præcedentem Synodum Luminarium, quoniam Decubitus diurnus est, inueniemus celebratam fuisse in gr. 7. ♒. in Parallelo Declinationis exquisito Saturni Natalis. De 21. Febr. ad radios hostiles maleficorum natalis Luminaria peruenerant in qua scilicet extinctus est.

IX.

Decubitus Octauij Cardin. Bandini ex Argolo.

Ex Pulmonum affectibus, & à Capite fluxionibus.

CErebri, & capitis affectus patiebatur, vnde humorum redundantium fluxiones exortæ etiam ad partes spirituales die 25. Iulij febrim accendunt, atq; die prima Augusti, vbi ☽. tetigit □. necant: & inuenti sunt Pulmones viscido humore oppleti.

Iuppiter retrocedens in □. & Parallelo cosmico Saturni, & Parallelo obediente sub Marte, ipse in opposito partili Solis constitutus, maximè manente Sole in signo Leonis, ad viuum indicat Pulmones morbidos, mixta qualitatum causa.


Sed admiratione dignum est, quod precessit Decubitum Nouilunium in gr. 28. ♋ in Parallelo Declinationis ♃. & non longe ab eius oppositione tum ibi, tum à Natali, vtrobiq; infelicis, in ijsdem gradibus eiusdem signi manentis: (& caue quod ♃. in Natali habet Latit. Merid. non autem septentr. vt ponit Argolus.) Quandoquidem lunatio similis natali, & Directioni, infallibiliter elicit effectum. Cæterum in Natali Saturnus apud sextam Domum, cui Sol oppositione à signo Leonis, Luna Parallelo, & corpore iunguntur: hæc Iouem quadrato in Zodiaco, ille cosmico affligentes, præcordiorum, & maximè pulmonum affectiones indicant. Vnde patet quantum vtilitatis præ-

Latit.

♄	2.26.S.
♃	0.43.M.
♂	0.52.M.
☉	
♀	1.12.S.
☿	0.18.M
☽	4.53.S.

Declin.

♄	4.51.
♃	20.26.
♂	18.50.
☉	19.42.
♀	20.7.
☿	11.17.
☽	0.53.




tis præstare possit hæc disciplina Arti Medicæ, in aperiendis internarum partium affectionibus, etiam quoad vltimas differentias qualitatum. Vt in hoc exemplo Luna plena, & adhuc crescens lumine in sesquiquadrato Martis, & quadrato ♃. alias infelicis, indicat Pulmonum oppletionem copia humoris, & viscidi, quia iuncta ♄.

Quoniam verò in natali cum Ioue iungitur Parallelo Declinationis Mercurius, & ☽. manet in finibus ☿.: cerebrum quoq; implicant suis qualitatibus. In Decubitu Mercurius à Marte quadratis in Zodiaco, & in Mundo læditur.

Obijt die 9. Aug. quæ octaua est expleta, reuertente 9. à decubitu, vbi ☽. tetigit suum □. à gr. 8. ♑. & hora 10. m.30. ferè quando ☽. lustrabat domum quintam locum sibi quadratum, Sol vero scandebat ad situm suum decubitus.

X.

Decubitus Cardinal. Vidouij ex Argolo.



Ex Angina.

ÆGrotauit ex Angina & gutturis inflammatione,& in 8.ſcilicet die 28. ſequenti nocte extinctus eſt.

Luna luminare conditionarium, & vitæ moderatrix in □. coſmico ♂. & Parallelo Declinationis ♄. ♃. & ♂. manente ♃. infelici. Sol in ſigno ſui caſus, in 6. domo cum ☋. in finibus ♂. Pars Fortunæ in □. ♂. & ☍. ☽. Tandem Horoſcopus in ☍. ♂. & ♄. vehementem morbum oſtendunt.

Qualitas ex ipſis authoribus morbi, & ex ☽. moderatrice vitæ: tiam quoniam omnes hoſtiliter familiares cum ♃. & ipſe retrocedens, peregrinus, & à ♂. præſertim tripliciter affli-

ctus,

ctus, scilicet ☍. Parallelo cosmico, & Declinatione, nam ♃. ob latitudinem, quam habet meridianam, vix ab Horizonte emerserat; manens verò in ♉. & in Horoscopo, apud gutturem ciet morbum: malefici verò à signo Scorpionis inflammationem, & humorum putrescentium copiam infundunt ad vnum & eundem locum iuxta Scorpionis naturam vt diximus cap. 22. ♃. inter Pleiades, & ☾. aucta lumine in summo cardine augent humorem.

Quod præcessit Plenilunium si spectemus, quoniã Decubitus nocturnus est, contigit in □. ♃. natalis, ibidem manentis infelicis in signo ♑. sui casus, atq; ex aduerso Horoscopi constituti.

Pridie quam decederet celebratum est Plenilunium cum Eclipsi ex aduerso Lunæ Natalis exquisitè; & luminaria ad Parallelum Declinationis ♄. manebant natalis.

Notauimus supra in 4. Decubitu, quod verisimile sit medios fines omnium 3. signorum fixorum tribui maleficis: igitur ☾. in finibus maleficorum in hoc Decubitu manebit.

Obijt die 8. à Decubitu vbi ☾. attigit suum □. vt sciamus à motu ☾. non à dierum numero pendere Crises: fuit enim ☾. motu tarda, & non peruenit ad □. nisi 8. die.

XI.


Decubitus Ducis Sabelli, ex Argolo.

Ex Pleuritide.

SOL lumen conditionis temporis, in finibus in ☍. & in obediente Parallelo ♄. manentis in 6. domini Horoscopi: Sol item in Parallelo Declin. ♂. in Horoscopo positi, ideoq; super Solem eleuati. Horoscopus vitæ moderator læditur à ♂. Luna in □. cosmico ♄. in ♈. ☉. in quarta sub □. ♂. & ☍. ♀. infelicis grauitatem morbi ostendunt.

Qualitas apparet mixta ex frigidà humiditate, & calore, & ex corrupta per bilem Pituita propter ♀. infelicem, vt pote

caden-



cadentem à domo in □. ♂. cosmico., & sesqui □. ♄. cum ☋. nam vtraq; malefica imperat, & Sol in quarta mundi vernali, sed in Zodiaco autumnali. Luna in quarta Zodiaci vernali, mundi verò hyemali.

Partem affectum ostendunt Sol circa 11. domum, & ♄. morbi author in fine ♒. & ☿. in supremo cardine significat iuxta præcordia, Luna verò crescens lumine à centro ad circumferentiam ducit morbum.

Ante Decubitum celebratum fuerat nouilunium in gr. 12. ♋. in □. ♄. natalis.


Moritur die 19. h. 4. n. s. quæ fuit octaua reuertẽte à Decubitu vbi Luna peruenerat ad quadratum exquisitè: et hora, qua Sol situm in mundo oppositum, ☽ quadratum iam attigerant.

XII.

Cuiusdam Sacerdotis ex Boderio apud Maginum.

Latit.	
♄	2. 10. M.
♃	1. 32. S.
♂	0. 0.
☉	
♀	0. 18. S.
☿	4. 0. M.
☽	5. 0. S.

Declin.	
♄	2. 0.
☽	0. 26.



Ex Pleuritide.


SOL lumen temporis in finibus ♄. constitutus à □. ♃. ad □. ♄. migrat, Ioue manente infelici ex ☍. ♄. ex casu, & ex occidentalitate: Luna à □. ♀. ad Parallelum Declinationis ♄. & sesquiquadratum ♂. transit; grauitatē morbi demonstrantes.

Sol in Geminis signo humerorum, & Thoracis, & in summo cardine, qui pectori, Thoraci, & præcordijs dominatur, morbum in Thorace, & præcordijs significat: & ☽. aucta lumine à centro ad circumsistentes partes morbum deducit, & corruptos humores, sanguinem, & Pituitam, non sine atra Bile. Obijt in 7.

Decubitu

XIII.

Decub. Socratis ex Federico Chrisogono apud Maginum.



Ex Hepatis affectionibus.

OBijt in 15. vbi ☽ attigit suam oppositionem, & reperta est in regione Hepatis satis notabilis tensio, & oppilatio. Grauitatem morbi declarant Sol lumen temporis in signo sui casus, in 8. in ☍. ♄. & Lunę in ☌. ♃. retrocedentis, in □. cosmico ♂. defluens a □. ♃. Luna in ♈. in finibus ♂. iuncta ♄. in □. cosmico ♂. □. ♃. ☍. ✱. sesquiquadrato ♀.


Qualitatem ambæ maleficę mixtam significant: Sol in quarta Zodiaci autumnali, & mundi æstiua. Venus culminans inter vtriusq; maleficæ radios: nam læditur Parallelo Declin. à

♂. &

♂. & ſeſquiquadrato à ♄. & Parallelo Cordis ♌. Hepatis affe-ctionem oſtendit. Morbi progreſſum vide apud Maginum.

XIV.

Decub. Bernardi Veimarij ex Argolo.



Ex Hepatis Pulmonum, & Lienis affectionibus.

Obijt die 18. Iulij ætatis Anno 34. menſibus 11. expletis. Aperto corpore, partes Hepatis, & Lienis duræ inuentæ ſunt, & Pulmones corrupti, ait Argolus.

Sol luminare conditionis in ☌. & Parallelo Declin. ♂. cui non poterat ♃. prodeſſe radio △. quoniam peregrinus, occidentalis, retrocedens, & ſub Saturni Parallelo poſitus. Luna in finibus, & in ☍. ♂. exquiſitè, & in Declinatione ♄. morbi grauitatem declarant. Quoad

Quoad speciem morbi, qualitates, & partes læsas. Sol in ♋. & circa 9. domum respicit præcordia. Venus in ☍. & Parallelo Declin. ♄. declarat Hepatis affectiones frigidas, & aridas. Saturnus retrocedens in Parallelo ♀. & ☽. lumine plenæ, copiam humoris aridi apud Lienem. ♃. peregrinus retrocedens, & in Parallelo Declin. ♄. ♂. & ♀. Pulmones quoq; corruptos esse demonstrat. Quæ siderum constitutio apparet etiam in præcedenti & Plenilunio, & Nouilunio.

Erat momentum climactericum: nam si horis Natalis addamus dies 34. & h. 22. peruenimus ad diem 19. Sep. 1604. vbi ☽. in primis partibus ♌. ponitur, loco □. sui ipsius in Natali.

Non prætereundum quod ♀ & ☽. habebant Declinationem Syrij, & Aldebaram, quæ à Cardine occidentis super ipsas eleuabantur.

Notandum domum, Iouem occidentalem esse, vbi morbum, & corruptionem Pulmonum, quibus præest insinuat; Saturnum verò & Venerem orientales; quare vitium densitatis inflingunt Hepati, & Lieni.

XV.

Decub. Cardin. Virilis ex Argolo.

Ex Hepatis affectionibus.

DEcubuit febre cum Hepatis inflammatione, diu q; productus morbus cum varietate, & aliquando cum spe salutis; tandem attulit mortem die 4. Iunij; ætatis an. 65. expleto.


Sol lumen conditionis, & vitæ moderator in summo Cardine cum ☊. idest intra fines eclipticos, qui semper suspecti sunt praua, & venefica qualitate. De cætero Sol à nemine maleficorum læditur constitutus in finibus ♃. & propriâ exaltatione.

Sed horrenda est Lunæ positio in 6. Domo, inter □. ♂. ☍. ♄. ☍. ♃. & □. ♀. tum etiam Partis Fortunæ iuxta ♀. in 9. Domo in ☍. ♂. & □. ♄. quæ grauitatem morbi insinuant.

Qualita-

Latit.	
♄	1. 26. S.
♃	0. 4. M.
♂	3. 30. S.
☉	
♀	1. 29. M.
☿	1. 19. M.
☽	5. 0. M.

Declin.	
♄	21. 29.
♃	23. 15.
♂	8. 38.
☉	0. 21.
♀	5. 28.
☿	2. 9.
☽	18. 2.



Qualitates, & partes læsas; Sol à summo Cardine nobiliores partes internas demonstrat; cumq; appareat maximè Venus à maleficis obsessa in 9. Domo, quæ præcordia significat, & eidem Luna immediatè applicet radio □. deficiens lumine; vtiq; Hepatis mixtas affectiones ostendit.

Diù productus est morbus ob ♄. authorem, qui Lunam lædit deficientem lumine, Partem Fortunæ, Iouem & Venerem occidentales.

Præcessit Decubitum Plenilunium cum Eclipsi horrenda in gradibus. 25. ♍. in Parallelo ♄. & □. ☉. natalis vitæ moderatoris, manente ♄. in Eclipsi in ☍. eiusdem Solis natalis.

Obijt die 76. à Decubitu, vbi ☽. posita est in gr. 19. ♏. sui quadrati in coniunctione cum ♂. & □. cum ♄. & cum ♀.

quæ

quæ Saturno opponebatur: dum Sol ingressus esset suum sextilem, & Quintilem iuxta Parallelum declinationis ♄ properans ad eius diametrum, & □. ♂. Ex quo patet Crises in morbis chronicis sequi primò motum Solis, deinde motum etiam Lunę per Zodiacum.

XVI.

Decub. & mors Petri Card. Aldobrandini ex Argolo.



Latit.	
♄	0.39.M.
♃	0.46.M.
♂	1.40. S.
♀	0.33.M.
☿	1.35.M.
☽	3.17 M.

Declin.	
♄	21.53.
♃	16.17.
♂	16.13.
☉	3.45.
♀	5.17.
☿	9.2.
☽	14.24.

Asthmate.

GRaui cum Asthmate diù laborasset, moritur statim hora supra notata.

Luna conditionis temporis domina in finibus, & in Parallelo tum cosmico, tum Declinationis ♂. & Iouis, qui super ipsam

 eleua-

eleuabantur: & Mars super ♃. & ●. Sol in finibus ♂. in □. ♄. manentis in 8. cum ☋. grauitatem morbi declarant.

Iuppiter in occasu sub ☍. & Parallelo ♂. pulmonum affectiones insinuat, id quod etiam ♄. in ♊.

Luna in Decubitu transitu passiuo super ♄ natalis, & vice versa ♄. in Decubitu transitu actiuo super ☾ natalis; quæ in gr. 25.18. ♊. collocari debet, non in ♉. vt ponitur ab Argolo.

Nota Martem à signo ♏. humido, supra Iouem eleuatum, qui inter humidas Pleiades erat. Mars quoq; duplici Parallelo eleuabatur super Luna lumen temporis.

XVII.

Decub. Guilielmi Gronett, ex Boderio apud Maginum.

Latit.	
♄	2.16. M.
♃	1.2.S.
♂	0.8. M.
♀	1.4.M.
☿	2.56. M.
●	2.25.S.

Declin.	
♄	9.32.
♃	4.19.
♂	18. 33.
☼	7 28.
♀	9.36.
☿	15 44.
●	16.25.



Ex Cardiaca.


ET febre grauissima, intra 4. dies obijt.

Pars Fortunæ vitæ moderatrix cum ♄. nullo beneficorum affulgente. Luna luminare conditionis in □. & Declinatione ♂. & ☿. infeliciter manentium in 6: Sol cum Declinatione Saturni, & Veneris infelicis grauitatem morbi manifestant.

Qualitatem Pars Fortunæ in Culmine; Luna in signo Leonis iuxta Cor; Mars quoq; descendens cum Corde Scorpij, affectiones Cordis declarant; maximè decrescente Luna, vbi à circumferentia ad centrum morbum trahit.

XVIII.

Decub. Anna Reginæ Poloniæ, ex Argolo.



Ex Cordis passionibus.

REfert Argolus quod vehementissimo Cordis dolore, & palpitatione correpta, subsequente leui febre, postridie, quæ prima Ianuarij, obijt, cum laborasset catharro, & ægra valetudine. Obseruatione digna est constitutio cælestis huius Decubitus.

Pars Fortunæ vitæ moderatrix in Parallelo cosmico ♂. ponitur, qui super ipsam eleuabatur; & in loco ♄. natalis quoad mundum. Luna luminare temporis in finibus ♄; in Parallelo Declinationis ♂. & Cordis ✱. vsq; ad minuta, cui per longum; & latum quam proximè iungebatur: Sol in sesquiquadrato ♂. in signo sui casus in 6. Domo. Apud Horoscopum Cor Hydræ, & ☋. cum □. ☽. grauitatem symptomatis decernebant.

Qualitatem; Pars Fortunæ in 9. Domo, quæ Cordi, & præcordijs præest: & ☽: cum Corde ✱. Cordis prauas, lethalesq; affectiones innuunt, ex calore.

Præcessit Decubitum Plenilunium applicans Marti natalis, & pridie, Dicotoma, manente ☽. in gr. 9. ✱. in exquisito □. ♂ natalis, ☼. in ☍.

Obseruandum quoq; Iouem in natali, & Decubitu in eodem signo ♒. eisdemq; partibus, & Quadrato ad Horoscopum inuentum esse: at vero in natali colligens iungebat radios Solis, & Martis quadrato radio, à ♂. quidem cosmico, à Sole verò in Zodiaco, manente ♂. in ♌. super omnes eleuato apud Horizontem & ibidem Cor ♌. Vnde Cordis affectiones exortas fuisse credere par ex Pulmonum affectionibus validis, quandoquidem cathaoo laborabat, & ægra valetudine. Quam significationem confirmat ☽. in ☍. ♃. in Decubitu, & ♃. in natali & Decubitu multipliciter infelix, & Horoscopo infensus Iuppiter enim occidentalis, & cadens à Domo, morbosos pulmones arguit.

Obseruandum item, quod obijt sequenti die hora prima post meridiem (vt refert Argolus) in qua Sol à domo 9. ponebatur

batur in □. cosmico ad suum situm in mundo Decubitus: Luna verò ab occasu pari modo in □. ad suum situm; quamuis re vera quadratum Lunæ non nihil præcessisset; sed Quadratum Solis subsequeretur. Quo patent veritas Crisium etiam per horas, in morbis videlicet peracutis.

XVIIII.

Decub. Odoardi Ducis Parmæ, ex Argolo.



Ex Ventriculi affectione.

OBijt die 12. Septemb. 1646. ætatis anno 34. & mensib. 4. expletis. Intus inuentum est disci∫∫um omentum, inquit Argolus, qui describit hunc Decubitum ad horam 3. P.M. cum

cum tamen in medio figuræ ponat hor. 3. noctis: atque infra dicat decubuisse ad hor. 3. noctis circiter: Quare figura ab ipso descripta falsa est.

Grauitatem morbi ☉. lumen temporis in 8. sub ☍. ♂. In Horoscopo ♄. cum □. ♃. erat autem Horoscopus vitæ moderator Sol in finibus, & in □. cosmico ♂. absque beneficarum auxilio.

Qualitatem mixtam innuunt ambæ maleficæ morbi causæ, cum Lugna in signo communi. Partes corporis affectas Luna in 8. Iuppiter in ♋. & Sol in ♌. internas, maximè verò Iuppiter in ♋. à centro quartæ domus, vnde quadrato radio Horoscopum intuetur. Signum enim Cancri ventriculo præest: item ♌. in Culmine idem significat: signum mutilum in Horoscopo. Cum autem omnes præter ♀. sint orientales, vitium, non morbum ostendunt, & vnitatis diuortium apparuit.

Erat momentum climactericum exquisitum; nam si horis natalis addamus dies 34. & horas 8. peruenimus ad diem 31. Maij cum horis à merid. 23. tunc verò Luna ponitur in gr. 5. signi Cancri, loco quadrato ad suum locum natalis, vbi offendit ibidem □. ♂. & sesquiquadr. ♃.

Luna in Decubitu aucta lumine ducit morbum à centro ad circumferentiam, ipsius videlicet ventriculi, in quo affectio morbosa significatur. Obijt die 12. Sept. hor. 14. in qua Sol in situ opposito in mundo morabatur; ☉. autem oriebatur in Horoscopo.

Simile quiddam inuenitur in natali Cardinal. Panciroli apud Argolum: in qua ♃. in Cancro retrocedens sub □. ♂. in Zodiaco, & in mundo, ☼. à nona sub □. ♄. ☉. ab XI. in Declin. ♄. quare circa ventriculum apparuit morbus, vt refert Argolus &c.

XX.

Decub. Hyppoliti Card. Aldobrandini ex Argolo.



Ex affectione Stomachi.

OBijt die 19. Iulij ex febre cum vomitu: & exenterato corpore, inuentus est Stomachus vsq; ad gulam ferè oppletus phlegmate.

Grauitatem morbi; Sol lumen conditionis, & vitæ moderator, inter Parallelum Declin. ♂. & ♄. & ☿. retrocedentis, & cum Parallelo Lunæ, quæ propterea, & ipsa inter maleficas illas manebat, iuncta Veneri, in diametro ♂. & cum Aldebaram. Horoscopus in □. ♂. ☽ & ♀. cardinalium. Pars Fortunæ in ☍, ♄. consistentis in 6.

Qualita-

Qualitatem, & partes læſas; Luna in ſummo Cardine, & Sol in Cancro ſtomachum reſpiciunt: cum verò Luna, & Venus intueantur Horoſcopum quadrato radio, humiditate, & phlegmate exitioſis afficiunt. Saturnus quoq; à ſexta domo retrocedens humores contumaces infundit.

Mercurius in ſigno humido, in ♋. quod ventriculo præeſt, iuxta Caudam Draconis, & retrocedens, cum Declinatione ♄. ☼. & ☽. auget humores in ſtomacho frigidos, & contumaces atq; conglutinat: proprium enim Mercurij, vt ſupra diximus eſt glutinare ſiue humida, ſiue ſicca.

Obijt reuertente die 11. à Decubitu quæ fuit 19. Iulij, hora 15. in qua Sol ab XI. ad culmen accedebat iuxta ſuum ferè ſitum Decubitus; Luna vero luſtrabat domum 2. in proprio △.

XXI.

Decubitus cuiuſdam Scribæ ex Boderio apud Maginum.

Ex Diſſenteria.

ET febre acerba, obijt in 4. Grauitatem morbi: Luna lumen temporis, & vitæ moderatrix cum ☋. & in ſeſquiquadrato ♂. & Parallelo coſmico ♄. in Horoſcopo ſita, communicat enim ei ſuam infelicitatem. Sol in finibus, & in □. ♄. & ferè Declinatione. Pars Fortunæ in ☍. ♂. exiſtentis in 6.

Qualitatem, mixtam ſignificant ambæ maleficæ morbi cauſæ; cumq; ☽. ſit in ſigno aqueo, & in quarta Zodiaci, immò, & mundi hyemali, ſuperaddit dyſenteriam.

Notandum autem ſigna aquea, & Virginem, & Libram, & ♏. ferre ſignificata fluxus ventris; illa, quoniam humida ſunt, hæc vero tria quòd ventri præſunt. At cum fluxus ventris à pluribus cauſis in corpore languentis originem ducere poſſit; vtiq; à diuerſis etiam cauſis cæleſtibus ſignificari: vt, ſi ab Hepate,

pate,



pate, causa Veneris; & à Bile flaua causa Martis &c. In hoc autem Decubitu patet à pluribus causis ortum fuisse; ab affectionibus Hepatis quod ♀. in □.cosmico ♂. & Parallelo Declinat. Et ab vtraq; Bile propter vtramq; maleficam influentem, & potissimè Martem: vnde mordacitas humoris exorta exulcerans Dysenteriam lethalem attulit acutissimam.

Rursus notandum, octauam domum 7. & 6. semper innuere affectiones ventris, cui præsunt. Cum ergo in hoc Decubitu Mars possideat 6. domum officiens Lunæ vitæ moderatrici, quę in signo humido est, atq; etiam Veneri; videtur suo calore liquare, & exulcerare interiores partes ventris.

XXII.

Decub. cuiusdam Anachoretæ ex Boderio apud Maginum.

Latit.
♄ 0.3.S.
♃ 1.2.M.
♂ 2.2.S.
♀ 1.3.M.
☿ 2.0.S.
☾ 3.56.M.

Declin.
♄ 20.35.
♃ 11.8.
♂ 24.33.
♀ 1.27.
☿ 19.2.
☾ 7.49.



Ex fluxu Ventris.

ET febre, atq; dolore hypocondriorum: obijt in 9. Grauitatem morbi; Sol lumen temporis, & vitæ moderator cum ☋. in finibus, & in □. ♄. manentis in 6. Luna in Parallelo cosmico ♄. Pars Fortunæ cum ♄. in 6. Videtur autem primo intuitu quod ♃. cum Sole, & in △. ☾. seruare debuisset; sed re vera ♃. neq; Soli, neq; Lunæ subuenire poterat, quia combustus, occidentalis, in vltima occultatione, & solus; virtus autem malefica multiplex: tandem radij quadrati ♄. ponderosi orientalis interiecti inter Solem, & ♃. prohibebant ne

Sol

Sol communicare posset cum ♃.


Qualitatem; ♄. author morbi orientalis positus in 6. officiens vtriq; luminari, & Parti Fortunæ innuit ex frigida humiditate: & quia manet in 6. & Luna in ♍. ab eodem læsa ventris affectiones ostendit.

Vbi notandum quod in præcedenti Decubitu Mars principalis author morbi, à 6. domo obsidebat Lunam diminutam lumine. In hoc verò è contra Saturnus à 6. domo pulsat Lunam auctam lumine, immò & Solem pulsat in Quarta Veris existentem, vbi dies auget. Quare in præcedenti apparet liquatio, in hoc verò humorum affluentium acrimonia, & densatio ex atra Bile: vnde hypocondriorum dolores exorti sunt: nam signum ♍. quod lustrat Luna, hypocondrijs propriè dominatur. In vtroq; decubitu Sol in Quarta Zodiaci vernali, in præcedenti quoad Mundum in Quarta hyemali: in hoc vero æstiua. Luna in præcedenti apud Quartam hyemalem tàm in Zodiaco, quàm in Mundo: in hoc verò habet Quartam Zodiaci æstiuam, in Mundo hyemalem. Vides igitur contrarios luminarium habitus erga contrarias morbi causas, iuxta ea quæ supra docuimus: quod in re Medica quantum commodi afferre possit nemo vnquam satis putaret, ad cognoscendas videlicet summas causas internas morbi, & occurrendum: neq; enim effectus morbosus extingui vnquam poterit, nisi tollatur prima causa, & principium, vt fatetur Galenus lib. 2. de Natur. facult. dicens. *Sunt igitur semper nobis causæ ipsæ inquirendæ. Qui enim intemperamentorum causas cognouit, is facilè ad naturam suam ea reducet.*

Obijt autem vbi ☉. tetigit suum trigonum à primis gradibus ♑. iuxtà ☍. ♂. & Parall. declin. ♄. Ex quo patet quod etiam à radijs luminarium benignis emanare possunt malæ crises, si videlicet à maleficis ibidem radijs hostilibus inficiantur.

XXIII.

Decub. Card. Gypsij ex Argolo.



Ex fluxu Ventris.

ET febre, atq; cerebri affectionibus, obijt 6. Apr. quando ☽. attigit vltimam quadraturam.

Grauitatem morbi: Sol luminare temporis in finibus ♂. & 8. domo in lesquiquadrato cosmico ☽. quæ fines ♄. lustrans ab ☍. eiusdem ♄. & Declinatione ♂. & ☿. læsa, ad Solem eorum hostilem naturam transferebat; Sol quoq; iungitur Parallelo cosmico Saturni. Pars Fortunæ in 6. cum ♄. sicut in præcedenti Decubitu.

Qualitatem: ♄. in 6. officiens ☽. auctæ lumine: Sol in ♓.

&

& ♍. in Horoscopo vteri prauas affectiones indicant. Cum verò Luna Declinatione communicet cum ☿. & vterq; cum Marte, cerebrum quoq; morbo implicat: Cumq; ☉. maneat in Leone, & Venus in □. cosmico ♄. ex præcordiorum, & hepatis, & stomachi affectionibus videtur morbus emanasse.

Aderat momentum climactericum: nam si horis natalis addamus dies 74. & horas 12. pro annis 74. cum dimidio, quos natus vixit, peruenimus ad diem 27. Decembris eiusdem Anni 1564. vbi Luna ponitur in proprio □. sui loci natalis, à grad. 16. ♒. ibiq; offendit □. ♄. Et in Decubitu ☉. & ♄. □. radio locum illum climactericum pulsant: & obijt quando Luna vna cum ♂. attigit locum eidem oppositum. Quæ cuncta in euidentissimos testes veritatis nostræ rationis de Annis Climactericis sumenda sunt.

Aliquandiù productus est morbus ob Saturnum authorem. Obijt 6. die Apr. hora 15. 30. ab occ. quando ☼. ingressus est domum XI. proprium scilicet □. & ☉. reuersa est ad domum XII. suum in Decubitu locum.

XXIV.

Decub. Franc. Mariæ Card. Farnesij ex Argolo.


Ex Ventris affectionibus.

VEntris torminibus per sex menses continenter cum & humorum excretione laborasset, febre corripitur, ait Argolus, & acerbis ventris doloribus hora vt supra: obijt die 12. Iulij hor. 4. n. s.

Grauitatem: Luna lumen temporis in ☍. ♂. cum aduersa Latit. in Declinatione fixarum Syrij, Reguli, Aldebaram &c. nullo famulante benefico. Sol in finibus ♂. cum Syrio, & ☊. Pars Fortunę in Culmine vitę moderatrix inter □. ♂. & sesquiquadratum ♄. Præcesserat Plenilunium in gr. 25. ♓. ex aduerso Saturni natalis.

Latit.
♄ 2. 5.M.
♃ 0.45.S.
♂ 1. 4.S
♀ 1.49.S.
☿ 1.25.M.
● 3.56.M.

Declin.
♄ 17.26.
♃ 18.50.
♂ 10.30.
♀ 21.21.
☿ 1. 7.
● 13.26.



Qualitatem morbi: Mars in ♍. in 6. oppositum radium Lunæ infligens; Luna in ♓. lumine decrescens inter calidissima sidera fixa scilicet per Declinationis Parallelum, ventris calidas, & prauas affectiones innuunt: similiter Sol in signo aqueo in terminis Eclipticis. ●. lumine deficiens migrat à Declinatione ♄. ad Declinationem ♂. vnde apparet morbum præcessisse diuturnũ ex causa frigida: deinde febrile æstu auctum ad necem. Climactericum momentũ præcesserat paucis mensibus antea.

Obijt die 12. Iulij hor. 4. not. seq. quando Sol redijt ad situm suum in mundo; & ●. à gr. 7. ♓. tetigerat vltimam suam quadraturam, & posita est in medio 8. domus in sesquiquadrato proprio, & ad Horoscopum; vnde patet consensus criticus à singulis motibus, luminarium.

XXV.

Decub. Armandi Cardin. Richelieu, ex Argolo.



Ex Ventris Affectionibus.

Diuturnam admodum intestinorum affectionem perpessus, grauatus est cum maxima inquietudine hora vt supra: obijt die 4. Decemb.

Grauitatem: Luna lumen conditionis temporis in 8. domo, in finibus ♂. iuncta Saturno, & in □. ☿. infelicis casu, & regressu, tum demum □. ♄. Præcesserat Plenilunium in gr. 15. ♉. ex aduerso Horoscopi Natalis, manente ♄. in ☍. ☉. vitæ moderatoris. Pars Fortunæ in ☍. ♂.

Qualitatem: Luna aucta lumine cum ♄. in ♓, apud 8. domum,

mum, ſuperioris ventri s frigidam humiditatem, & prauam affectionem declarat; id quod etiam Venus in 6. domo ſub Parallelo coſmico Saturni, & Declinatione Mercurij infelicis. Mercurius officiens Lunæ quadrato radio, qui cum ♂. ſeſquiquadrato communicat, & cum ♀. Declinatione, ſuperaddit qualitatem prauam & exitialem, & penè virulentam.

Nota lector quod in Decub. 21, 24. & 25. Luna luminare conditionis ponitur in ſigno ♓. In Decub. 23. Sol lumin. cond. in eodem ſigno ♓. In Decub. 22. Luna in ♍.

XXVI.

Decub. Fabritij Cardin. Veroſpij, ex Argolo.



Ex

Ex Hydrope.

NOtandum in hoc Decubitu: Saturno iungi Solem ipso velociorem; Soli verò iungi Venerem adhuc velociorem; tandem Lunam omnium velocissimam quadrato cosmico validiori vinculo nectere omnes illos; interim ipsam Lunam temporis luminare imbui eorum qualitatibus. Sol in 6. domo cadens in ♒. Pars Fortunæ in 8. cum nocturnum esset tempus: quæ cuncta morbi grauitatem aperiunt.


Qualitatem Luna lumen temporis deficiens lumine in ♎. signo autumnali in □. cosmico ♀. ☉. & ♄. Sol in ♒. signo hyemali cum ♄. ♀. & Parallelo ♃. in 6. domo: & ambo Sol & Luna infra terram, in quartis videlicet frigidis mundi, ventris hydropicam humiditatem declarant ex causa frigida. Erat enim, vt refert Argolus, valetudinarius, fluxionibus perpetuis excruciatus, & crurium languore confectus. Obijt die 27. eiusdem mensis, ætatis annorum 66. & mensib. 11. ferè.

Cæterum præsto aderat momentum climactericum: nam additis diebus 66. & horis 22. ad horas natalis peruenimus ad diem 12. Maij cum horis P.M. 12. ferè, vbi Luna ponitur in gr. 14. ♊. loco sibi aduerso Natalis.

Obijt die 27. eiusdem mensis hora 17. vbi Sol à Culmine, ☽. ab occasu in proprio vterq; Trigono cosmico ponebantur, Sol coniunctione Saturni, ☽. Parallelo declinationis eiusdem oppressi; & ☽. à signo ♎. ad Scorpionem humidissimum signum migrauerat.

XXVII.

Decub. Alexandri Victricij, ex Argolo.



Ex Hydrope.

CVM prius non bonè valeret, Decumbit ex leui quidem febre, sed diuturna, quæ & hydropem attulit, & demum 5. Octob. mortem.

Grauitatem: Luna potissimum, quæ in finibus ♄. & in Declinatione ♂. & ♄. lumine deficiens circa occasum ponitur, declarat. Etenim quamuis Sol lumen temporis in sextili ♃. ponatur; attamen Iupiter potius obesse, quam prodesse videtur, qui occidentalis vbi trigefacit peregrinus, cum ☋. in 8. domo, & in □. ♄. cosmico inuenitur, atq; erga Solem diuersæ

sectæ

fectæ apparet: quoniam Sol signum ♍. lustrat, vbi Iuppiter cadit. Pars Fortunæ in 12. domo in ☍. ♂.

Qualitatem, & partes læsas: ♄. & ♂ in 6. in signo humido officientes Lunæ, & Saturnus Veneri □. in Zodiaco, & Ioui □. cosmico, orientalis, super omnes eleuatus, clarè manifestant humidam, & mordacem causam, & circa ventrem: omnes enim planetæ in occasu, & in signis mediorum & inferiorum corporis partium. Venus autem in ♎. à ♄. læsa hydropem ex frigida hepatis affectione declarat: maximè deficiente ☉. luce, signum ♒. in Horoscopo idem.

Climactericum momentum præcesserat nonnullis mensibus antea.

Obijt die 5. Octobris, quæ fuit 41 expleta, & initium 42. quando Luna secunda vice tetigit locum sibi à Decubitu oppositum: hora 23. in qua Sol redijt ad suum situm in mundo, Luna vero ex aduerso sibi in oriente iuncta Marti, iuxta locum Saturni natalis.

XXVIII.


Decub. Ioannis Vidman, ex Argolo.

Ex febre cum Variolis.

Obijt die 28. eiusdem mensis. Grauitatem Sol lumen temporis in 8. domo & sesquiquadrato ♄. Luna sub radijs Solis in □. & finibus ♂. Pars Fortunæ in Horoscopo inter maleficas cum ☊. & sub □. ♃. infelicis, ♂. in Horoscopo.

Qualitatem mixtam insinuant vtræque maleficæ, quæ cum officiant Ioui quadratis radijs Sanguinē labefactant: & existente ♃. in ♑. Luna crescente lumine exanthemata lethalia ad extra deduxit. In natali ♃. & ☉. habebant Declinationem ♄. existentis in Angulo occasus; atq; ☉. erat in Parallelo cosmico ♂. in 6. manentis. Præcesserat Decubitum Nouilunium ex aduerso ♃. natalis.

 Morbilli,



Morbilli, quoniam, vt exempla manifestant, contingunt omnibus pueris, nihil aliud videntur esse, nisi excrementum quoddam, quod secernitur è sanguine per augmentum caloris vitalis, ex coctione innatæ puero humiditatis, vel residui materni menstrui sanguinis. Est ergo Crisis quædam, quæ ex natalitio themate oriri potest vel ob aliquam Directionem moderatoris vitæ, vel ob climactericum tempus, vel ob vtramq; causam; in Decubitu autem non videtur assignari posse alia siderum constitutio, quam ex habitu ♃. qui Sanguini præest.


In hoc Decubitu Horoscopus est vitæ moderator; neq; enim Sol, qui in 8. neq; ☽. quæ sub Solis radijs latet assumi possunt. At verò in Horoscopo ♂. cum □. ♃. qui infelix sub □. ♄. in Zodiaco, & Martis in mundo iacet: cumq; ♃. lustret signum

☽. exan-

♃. exanthemata propriè ex natura, & habitu suo demonstrat, atq; lethalia.

XXIX.

Decub. Hyacinthi Ducis Sabaudiæ, ex Argolo.



Ex febre cum Variolis.

OBijt die 3. Octob. Grauitatem; Sol lumen temporis in sesquiquadrato ♄. cosmico, & finibus, & □. ♂. in Zodiaco. ●. iuncta ♄. in □. ♃. Pars Fortunæ in ☍. ♃. & □. ♄. a ☽ & Lunæ.

Quoad qualitatem eadem apparet constitutio, quæ in præcedenti Decubitu: immò, & in eorum natalibus similes affulgent Astrorum habitus: nam in vtroq; ♃. infelix læditur à ♄. & ●,

& ☽. eisdem communicat hostiliter.

In hoc, tempus climactericum præsto aderat, in illo vero non nihil præcesserat.

XXX.

Decub. Cardin. Lanfranchi, ex Argolo.

Latit.
♄ 1. 8.M.
♃ 0.25.S.
♂ 0. 6.S.
☉
♀ 0.57.S.
☿ 0. 8.M.
☽ 3.46.M.

Declin.
♄ 12.57.
♃ 13.40.
♂ 13.55.
☉ 17. 8.
♀ 14.11.
☿ 15.52.
☽ 23.52.



Ex febre cum exanthematibus, & carbunculo.

Obijt die 30. eiusdem. Grauitatem; Luna lumen temporis in 6. domo sub □. ♂. Sol in finibus censeo infortunæ, & in □. ♄. cosmico & ♃. infelicis. Pars Fortunæ cum ♂. Horoscopus cum ☍. ♄. & □. ☉. infelicis.

Qualitatem, & partes læsas: Saturnus primarius morbi au-

thor

thor in ☍. ♃. & Parallelo ♀. indicat corruptionem Pituitæ, & sanguinis, atq; tum Hepatis tum Pulmonum prauas affectiones. ☽. in 6. domo aucta lumine auget humores corruptos, & ducit ad extra: Omnes in signis fixis, & plures in ♏. vbi nouilunium præcesserat scilicet super ♀. natalis infelicis, significant exanthemata: Saturnus in domo 7. Luna in 6. ambo in ♒. & plures in ♏. & infra terram, ad inferiores corporis partes ducunt morbum: vnde sub nate Antrax exortum est.

Addo quod præter Lunam omnes habebant Declinationem syrij Aldebaram Reguli &c. quæ non parum acerbitatis morbis superaddere solent: commouent enim validissime elementarem plagam, vt supra diximus.

Vide in natali similem constitutionem. Venus in ♏. in Horoscopo, cui ☽. quadrato, & Declinatione iuncta erat, & Saturnus Declinatione, Iuppiter in □. ♌. & Venus cum ☽. habebant Declinationem illarum fixarum. ☽. in ☍. Reguli, & in Decubitu Regulus in Horoscopo ☽. in ☍. Syrij, in suo circulo positionis.

XXXI.

Decub. Ioan. Baptistæ Lauri, ex Argolo.


Ex febri cum exanthematibus violaceis, symptomatibus, & capitis doloribus.

OBijt die 18. Grauitatem: Sol lumen temporis in Declinatione ♄. & sesquiquadrato ♃. multifariam infelicis, & alienæ sectæ; nam in Virgine, vbi Sol, Iuppiter cadit. Sol quoq; applicabat quadrato, & Parallelo cosmico Martis. In Horoscopo ♄. eleuatus ferè supra omnes. ☽. in 6. cum Declinatione Veneris infelicis ob casum, quadratum ♂. & Declinationem ♄, cui iungebatur: applicabat quoq; ☽. ad ☍. ♄.

Qualita-

Latit.	
♄	2.19.S.
♃	0.46.M.
♂	0.12.M.
♀	1.16.S.
☿	0.10.S.
☽	4.48.M.


Declin.	
♄	6.20.
♃	21.25.
♂	23.2.
♀	6.49.
☿	2.34.
☽	13.25.
☉	0.15.



Qualitatem: Saturnus morbi primus author, positus in Horoscopo, cum Arista fixa naturæ ♀. in □. Iouis maximè cosmico, & Parallelo ♀. quibus corrumpit sanguinem, & Pituitam, qualitate venefica; non dissimilem præfert significationem à præcedenti Decubitu; nisi tantum quod ☽. deficit lumine; vnde morbum ad intra potius reuocat, quo symptomata exhibebat: dolores capitis Mercurius in summo cardine in sesquiquadrato ☉. Sol in dignitatibus ♀. & ☽. in ♈. ingrediens fines ♀. applicans ad ☍. ♄.

XXXII.

Decub. Octauiani Vestrij Romani, ex Argolo.



EX febre maligna et apostemate ad nates obijt die 1. Maij. Grauitatem: Luna lumen temporis sub Parallelo cosmico & sesquiquadrato tum in Zodiaco, tum in Mundo Saturni, in Culmine cum ☊. potentissimi. Pars Fortunæ iuxta ♄. Sol in 6. sub Parallelo Declinationis, & finibus ♄.

Qualitatem morbi: Quoniam Venus iungitur Soli in 6. sub Declinatione ♄ morbi authoris, & sub ☍. ♃. infelicis, atq; sub □. Lunæ; indicat Pituitam, & sanguinem atra Bile corruptos. Omnes autem Planetæ præter ☿. sunt occidentales. Quoniam verò Mercurius iunctus est Soli sub Declinatione ♄ ♀. & ♃.

eduxit ad extra apostema in natibus, quia Sol Venus, & ☿. in 6. Tandem Scorpij signum in Horoscopo indicat partem lęsam, & ☽. in ♑. in tertia Domo.

Obijt die prima Maij circa meridiem quo tempore ☽. à sexta domo posita est in □. ad suum situm in Mundo Decubitus: Sol verò statim ad suum □. applicabat pari modo.

XXXIII.

Decub. Lelij Cardin. Biscia ex Argolo.



EX febre, & Erysipelis circa renes, & coxam: cum prius laborasset fistula in renibus: obijt die 19. eiusdem. Grauitatem. Luna lumen conditionis temporis, & domina Horoscopi in 8. cum ♂. properans ad □. ♃. combusti, & peregrini, habens

habens declinationem Reguli &c. Sol iungitur declinationi ♂. & ♄. Horoscopus cum ☍. ♄.

Qualitatem, & partes lęsas Luna iuncta Marti, in □. ♃. Bilem in sanguine accēsam declarat; aucta verò lumine ducit ad extra: ab 8. domo respicit renes: à signo ♒. coxam. Sol iungens se declinationi ♂. in ♓. idipsum innuit: & à 5. domo ad coxam, à signo verò ♓. ad renes dirigit morbum. Quoad partes corporis similem constitutionem vide infra in Decubitu Tirundulę Veronēsis, cui post vulnus in genu, totum deinde crus abscissum fuit.

Cæterum ♀. & ☿. in ♎. & ♓. sub □. ♄. & ♂. omnes angulares declarant fistulam, qua natus in renibus laborabat: videtur enim Mercurius quando permiscetur infelicitati Veneris, apostemata in cauum sinum conuertere; tum potissimè si ipse & morbi authores occidentales sint, vt in casu nostro: quoniam occidentales, idest lumine minuti exiccant, & minuunt partes.

Notandum in hoc Erysipelatis Exemplo; Lunam à ♄. immunem esse, itaut neq; ab aliquo lumina eorum coniungantur: nam quando hoc accidit Erysipelas, & omne Apostema in Carbunculum degenerant, vel quid simile, vt apparet in Exemplo 30. Lanfranchi. Quod quidem rationi consentaneum est, quippe vt habet Galenus de medendi methodo lib. 14. atq; alibi, Erysipelas originem ducit à flaua Bile, quod si alij admisceantur humores, transit in Phlegmonem, vel in Oedema, vel in Scirrum, vel etiam in Carbunculum.

XXXIV.


Decub. Scipionis Cardin. Cobellutij, ex Argolo.

Ex febre cum Phlegmonoso Erysipelate in brachio: obijt die 30. eiusdem.

GRauitatem: Sol lumen temporis in Culmine in ♌. inter Canes. Luna in nouilunio exquisito, cum declinatione ♂. & fixarum Reguli &c. existentibus cunctis inter Ortum, &

Latit.	
♄	1.59.S.
♃	1.11.S.
♂	1. 9.S.
♀	1.36S.
☿	0 0.
☾	2.16.M.

Declin.	
♄	8.27.
♃	7.49.
♂	15.47.
♀	16. 3.
☾	17.54.



Meridiem. Et hic quoq; ☾. cum ♄. nullam habet familiaritatem, quo magis apparet causa calida. Incipit autem ☾ à Sole separari, habens declinationem ♀ orientalis; vnde Erysipelas Phlegmonosum apparuit; & in brachio, quia omnes circa XI. & X. domum.

De Erysipelis plura vidi exempla, in quibus Lunam à Saturno vbiq; separatam: & lumine crescentem.

XXXV.

Decub. Scipionis Cardin. Burghesij, ex Argolo.

Ex febre, & inflammatione, dolore, & apostemate, vrinæ difficultate, & carbunculis in collo vesicæ, quæ postea nigerrima

1633. Sept.
D. H. M.
20 23.30. Horol.

Latit.	
♄	1 34.S.
♃	0.25.M.
♂	1. 6.S.
♀	1.48.M.
☿	3. 9.M.
☉	2.12.S.

Declin.	
♄	19.20.
♂	20.20.
♀	15.35.)
☉	15.28.

gerrima inuenta eſt. obijt die 2. Octob.

De vrinæ impedimentis illud inueni doctrinæ Ptolemæi optimè conſonum, quod in morbo adeo occulto ad Medicam Artem plurimum ſanè commodi, & vtilitatis afferre poteſt; videlicet Planetas orientales innuere vitium, hoc eſt vel arenulam, vel lapillum, vel meatuum, & vaſorum anguſtiam &c. occidentales verò in carne morbum: id quod docet Ptolemæus lib. 3. cap. 16. de vitijs, & morbis corporis in genere. Plures autem contingere cauſas ſuppreſſionis vrinæ docet paſſim Galenus.

Rurſus notaui quoniam Venus dominatur Hepati, vnde prima principia effluunt lotij ad renes, qualiter ipſa ponitur, taliter afficit renes.

Tandem obſeruaui quod in ſuppreſſione vrinæ, Mars vbiq; ſemper

semper infeliciter se habeat vel ratione situs, vel configurationis Saturni, & reliquorum: cuius ratio videtur, quod renes, vt docet Ptolemæus lib. 3. cap. 16. Marti subijciuntur, & fortasse ob salsedinem, quæ non nisi à calore procedit: vnde fit quod Saturnus, & reliqui lædentes Martem, lotium, & renes prauis qualitatibus afficiant ad vitium vel morbum.

Constat autem in hoc Decubitu Venerem Lunam, & Saturnum morbi authores occidentales esse, & Venerem in Leone cum Marte, & Martē sub Declinatione, & □. cosmico Saturni.

Grauitatem morbi: Sol lumen temporis inter fines ♂. & ♄. cum ☋. & □. ♃. infelicis. Luna sub □. ♂. in Zodiaco, & Parallelo cosmico, applicans ad □. ♀. & declinationem ♄. habens vna cum Venere declinationem Reguli Syrij &c. Pars Fortunæ in 8. sub □. ♂. & ♀. & Parallelo cosmico ♂. & ☍. ☉.

Qualitatem: Venus in 6. iuncta ♂. in □. ♄. cosmico, & □. atq; declinatione ☉. Venus ♄. & ☉. occidentales: morbum, & tum calore ad inflammationem, tum frigiditate ad obstructionem, & partium læsionem planè declarant. Mars orientalis suo calore vitium aliquod addere poterit apud Iecur, & vretheres meatus. Cumq; ♂. & ♀. lustrent Leonem signum vorax, Luna Taurum, ruminans, & Saturnus cum Corde Scorpij, carunculos significant. Tandem ♂. qui renibus dominatur, cum declinatione ♄, ipsius lotij frigidas ad obstructionem qualitates.

Sed admiratione digna est similitudo, licet partim commutata, constitutionum Decubitus, & Natalis; in Decubitu Venus super ♂. natalis: Mars super Venerem, Luna in eodem loco, & in natali cum □ ♀. & △. atq; Parallelo cosmico ♂. in Decubitu cum □. & Parallelo cosmico ♂. △. cosmico, & Declinatione ♀. omnibus in iisdem Domibus, sed permutatis ♂. & ♀. ♄. vtrobiq; in supernantibus locis, & cunctis occidentalibus. Quo pateat id quod semper docuimus decubitum perpetuò similem esse natali, quoad morbum &c.

XXXVI.

Decub. Tiberij Cardin. Muti, ex Argolo.



Latit.
♄ 0.31.S.
♃ 1.18.S.
♂ 2.13.S.
♀ 0.7.M.
☿ 2.20.S.
☽ 4.54.M.

Declin.
♄ 22.18.
☽ 19.19.

Ex calculis, & febre.

Obijt die 14. Aprilis. Grauitatem: Luna lumen temporis cum ♂. in ♏. applicans ad Declinationem ♄. Sol in 6. in □. ♄. tàm in Zodiaco, quàm in Mundo. Pars Fortunæ cum ♀. in ☍. ♂. & ☽.


Hic, ♀. ♄. & ♂. morbi authores orientales sunt; & ♀. atq; ♄. in signis terreis, & ♀. in fixo: ☽. & ♂. in ♏. ex aduerso Veneris orientales vitium in renibus declarant, ex causa mixtæ qualitatis: maximè retrocedente ♂.

XXXVII.

Decub. Io. Baptistæ Cardin. Lenij, ex Argolo.

Latit.
♄ 2.13.S.
♃ 0.33.S.
♂ 0.46.M.
♀ 1.34.S.
☿ 1.30.S.
● 2.56.S.

Declin.
♄ 0.19.
♃ 19 57.
♂ 21.0.
☉ 8.24.
♀ 2. 0.
☿ 0.8.
● 0.34.



Ex Vrinæ impedimentis.

DIE 15. Octob. mane ex improuiso (refert Argolus) vrina supprimitur: pluribus medicamentis adhibitis, isq; irritis, ad vsum catheteris ventum est; quo immisso in Vessica vrina reperta non est: ex renibus tamq; non descendebat. Consultum à Medicis de motu, & vt in curru veheretur, quo peracto vrinæ copiam eiecit maximam; quibus non-obstantibus cum vrina esset per venas deuoluta superuenit febris, & die 3. Nouemb. extinctus est.

Grauitatem morbi: Sol lumen temporis in sesquiquadrato Martis existentis in ♉. Luna in finibus, & Declinatione ♂. sub

□.&

☐. & Parallelo cosmico ♄, ♀. & ☿. coniunctorum.

Qualitatem, & partes læsas. Venus in ♎. vnita ♄. & in Parallelo cosmico ♂. & signum ♏. in Horoscopo mixtas affectiones renum insinuant. Quoniam vero ♄. ♂. & ☉. orientales: ♀. occidentalis, plures causas manifestant, scilicet tum vitium, tum morbum. ♀. ♄. & ☿. in ♎. & ♂. in 8. retrocedens superiores renes respiciunt.

XXXVIII.

Decub. Ruberti Cardin. Vbaldini, ex Argolo.



Ex Calculo.

OBijt die 22. April, repertusq; est in vesica lapis folliculo inuolutus ponderis vnciarum 3.

Grauitatem: Sol lumen temporis in □, ♄. existentis in 6. Sol item inter fines ♂. & ♄. cum declinatione ☿. qui inter maleficas positus earum naturam induit. Luna in nouilunio cum eisdem Solis familiaritatibus, & terminis ♂. quæ à declinatione ♂. discedens, ad Solem transferebat eius qualitates. Sol & Luna à △. ♃. iam incipiebant defluere; Solus quoq; ♃. inter tot maleficas nihil valuit, maximè quod Saturni declinatione opprimebatur.

Qualitatem. Saturnus præcipuus author morbi pulsabat Venerem existentem in 8. Parallelo cosmico: erant autem Saturnus & ☿. orientales, cæteri occidentales: & ♄. in signo terreo, ♀. in fixo aereo. Qualitates ergo mixtas innuebant, & partim vitium, partim morbum, & notandus concursus ☿. qui folliculo calculum implicauerat. ♀. in octaua, & ♄. in 6. circa renes declarant morbum; maximè existente ♂. sub □. Saturni.


Ad hanc vero rem arguit Picus mirandulæ: Astra nisi sint causæ, pura esse signa inanè dicuntur. Calculus folliculo inuolutus proculdubio multo ante genitus erat, neq; enim dici potest genitum in instante fuisse: igitur constitutio momenti Decubitus non est vera causa morbi, sed ad summum signum tantum, quod non est dicendum. Respondeo quod sidera agunt semper modo successiuo producendo qualitates, & earum gradus suis perpetuis circuitibus; attamen completum effectum separant à suis immediatis causis, & eliciunt ad actum non nisi in instanti congruæ constitutionis maturitatis: Calculus generatur in tempore ex præcedentibus constitutionibus proprijs, sed in ipso toto tempore non apparet euidens, & notabilis effectus, nisi ex constitutione cælesti, quæ ad maturita-

tem,

tem, ſeparationem, & læſionem vitalium potentiarum perducit omnem præcedentem actionem; quando ſcilicet vitæ moderatores ea cauſa læduntur ad interitum, vel grauem morbũ. Eadem autem ratio de ſexu fœtus, forma, temperamento, &c. Igitur cæleſtis conſtitutio ad momentum cuiuſcunq; effectus naturalis, eſt ſemper vera cauſa, quæ nunc elicit effectum, & ſeparat à cauſis immediatis, videlicet præcedentibus circuitibus ſucceſſiuè præordinatum, & genitum; & hoc idem in cunctis naturalium rerum generibus.

XXXIX.

Decumb. Leonoræ Vrſinæ Ducisſæ Sfortiæ, ex Argolo.



Ex vrinæ impedimento.

FEbre, & doloribus, obijt die 17. Decemb. Grauitatem; Luna lumen temporis in 8. sub. □. ♂. & in ♈. signo igneo crescens lumine. Sol in Declinatione ♄. & ♂. & applicando. Horoscopus vitæ moderator cum ☋. □. ♄. & sesquiquadrato ♂. & ♀. Pars Fortunæ cum ♂.

Qualitatem vtiq; ex causa mixta: cum verò Mars, & Venus in Parallelo Declinationis ♄. maneant; atq; Luna à □. ♂. ad □. ♀. transeat, manens in 8. domo; & signum Virginis exoriatur apud Horoscopum vitæ moderatorem; renum prauas, & calidas affectiones declarant. Erant autem ♄. & ♂. occidentales, ♀. & ☉. orientales, quare partim vitium, partim demonstratur morbus. Cauda Draconis in Horoscopo vitæ moderatore virulentas qualitates admixtas insinuat.

XXXX.

Decub. Federici Principis Cesij, ex Argolo.


Ex vrinæ impedimentis.

CVM prius longo apud vesicam morbo laborasset, obijt die 2. Aug. & inuenta est vesica vlceribus repleta, ac materia, & carne ferè spongiosa.

Grauitatem: Sol luminare conditionis inter □. in Zodiaco, à quo separabatur, & □. cosmicum, cui applicabat Saturni: & cum Parallelo Declinationis ☉. ☿. & ♀. infelicium; nam Venus sub □. ♂. & sesquiquadrato ♄. Mercurius regreditur; ☉. in finibus censendis maleficæ.

Qualitatem: Virgo in Horoscopo, & Saturnus morbi author in fine ♎. & Venus afflicta, tum etiam Mars ex ☍. ♃. & □. ♀. cadens in 12. renum affectiones insinuant: cumq; omnes præter ♃, occidentales, morbum non vitium declarant: & varium,

mixtumq;




mixtumq; nam plures morbi authores in signis communibus. Venus occidentalis, in □. ♂. & sesquiquadrato ♄. tam in Mundo, quam in Zodiaco: morbum in carne, cui Venus præest declarat. Mercurius permixtus Parallelo Declinationis Soli, Lunæ, & Veneri, materiam, & carnem spongiosam efficit; maximè occidentalis, vbi exiccat, & morbum infert.

XXXXI.

Decub. Horatij Cardin. Iustiniani, ex Argolo.

Ex vrina difficultate.

OBijt die 25. Iulij. In figura decubitus, quam exponit Argolus transferendus est Saturnus à ♓ in signum ♈. Item in



in figura natalis Directio Ascendentis ad imperans Martis, falsa: nam Ascensio obliqua gradum 70.5. ab eodem assumpta, est gr. 1. 21. signi ♋. imperans autem ♂. incidit in gr. 1. 21. ♍. Censeo autem quod Horoscopus ad sesquiquadratum ♂. peruenisset.

Grauitatem morbi Luna lumen temporis iuncta Saturno cum quadrato ♂. inter fines ♂. & ♄. collocata. Pars Fortunæ in ☍. ♂. Sol cum Declinatione ♄.

Qualitatem; Saturnus morbi author officit Marti, & Veneri, existente ♂. in fine ♍. in 6. domo: renum ergo affectiones, & partim vitium, partim morbum designat. Et notandum quod Venus retrocedit iuncta Soli, qui propterea eius vicem gerit: Sol autem ponitur in Parallelo Declin. exquisito Saturni. Tandem Venus sub quadrato cosmico Martis collocata est.

Decub.

XXXXII.

Decub. Marsilij Landriani Episcopi, ex Magino.

1605. Maij.
D. H. M.
22. 4. 51. P. M.

Latit.
♄ 2.10.S.
♃ 0.17.S.
♂ 0. 2.S.
♀ 0.56.M.
☿ 1. 0.S.
☽ 4.52.M.

Declin.
♄ 21.17.
♃ 20.32.
♂ 21.49.
☉ 20.26.
♀ 15.22.
☿ 16.48.
☽ 16.43.

Ex intemperantia.

VIdelicet vsus potus gelidi dum ex Medicorum consultu occuparetur in corporis purgatione: sequutæ sunt virium, & pulsus debilitates, & symptomata cum vitæ discrimine: conualuit tandem in 7.

Intemperantia cuiuscunq; generis voluptatis à Venere ducit ortum, etenim procedit à potentia appetitoria; hæc verò residet in Iecore, vt docet Galenus pluirib. locis: sed Iecori præest Venus, vt ex Ptol. dictum est: igitur Venus intemperantiæ, & concu-

concupiſcentiæ cauſa, quam vbi validam, & feliciter ſe gerentem inueneris, cui Luna ſit aliqua familiaritate iuncta, vel author morbi, nihil verearis ægrum aliqua intemperantia decubuiſſe; immò reperies quod ex intemperantia vel non conualeſcet, vel in deterius recidet: Venus enim valida, & felix præſtat commodum ſemper, etiam ex natali per vitæ decurſum. Luna verò eidem applicata inclinationem, & appetentiam. Venus igitur in hoc decubitu angularis in propria domo, cui ☾. Parallelo Declinationis, ſextili coſmico, & in Zodiaco quintili iuncta eſt, & ipſa in propria domo: Cumq; ☾. immunis ſit à maleficis valuit etiam ad ſeruandum, quamuis Sol Marti iungatur in 8. etenim Sol præterea à △. ♃. ad exquiſitam eiuſdem ♃. Declinationem peruenerat: Iuppiter autem cenſetur manere in centro Imi; alias retrocedens, & cadens ab altitudine: Ad Lunam enim pertinebat vitæ moderatio.

XXXXIII.

Decub. cuiuſdam ex Cardano apud Maginum pag. 82.

Ex intemperantia cibi, & potus.

OBijt die 5. Iunij. Venus in Culmine in propria triplicitate orientalis, cui ☾. quadrato in Zodiaco, & in Mundo iungitur permutando mutuo ſuas domus, intemperantiam patefacit.

Grauitatem; Sol lumen temporis in 8. domo in □. ♄. Luna cum Declinatione ♄. applicans. Horoſcopus cum ſeſquiquadrato ♄. Celeriter autem grauatus, ait Cardanus, quod Luna velox motu; & ipſe dico quod lumine creſcens in Orientali hemiſphærio, vbi rarefacit, & humectat validiſſimè.

Obijt die 5. Iunij hor. 3. ante meridiem cum ☾. attigiſſet exquiſitè ſuam oppoſitionem in Zodiaco: ad horam vero 3.

ante

1553. Maij

D. H. M.
23. 3. 0. P.M.

Latit.
♄ 1.42.M.
♃ 1.13.S.
♂ 1. 9.S.
♀ 3.12.S.
☿ 1.26.S.
☽ 4.51.S.

Declin.
♄ 5.33.
☽ 3.21.

ante merid. Sol ponitur intra domum XI. in suo □. iuxta ☍. ♄. & ☌. ♂. decubitus, scilicet quoad Mundum; Luna vero in IX. a suum △. dum exoriretur ♂.

XXXXIV.

Decub. cuiusdam Fabr. Ferrarij ex Boderio apud Magin.

Ex intemperantia.

QVod calidus ex vno fonte potauerat, & occubit. Venus in 7. in propria domo iuncta Ioui, cui Luna diametro etiam secundum latum partili iungebatur, ostendit intempe-

Latit.
♄ 0. 0.
♃ 1. 2. M.
♂ 0.44.S.
♀ 1.11.M.
☿ 3.30.M.
☽ 1.18.S.

Declin.
♄ 25.29.
♃ 13.39.
♂ 22.39.
☉ 19.50.
♀ 13. 4.
☿ 13.53.
⊕ 12.17.

1549. Maij.
D. H. M.
9. 5. 7. P.M.

rantiam : & ex humido, quod ☽. in ♏. plena luminibus.

Grauitatem : Sol lumen temporis in ♉. in finibus ♂. iuxta Pleiades, & Aldebaram, in △. & Parallelo Declin. ♄. applicans. Luna in Horoſcopo in ſigno ſui caſus, venefico. Etenim Luna ſi aliquam infelicitatem patiatur, poſita in horoſcopo, potenti modo ſe ipſam, & Horoſcopum lædit, auget enim ibi in immenſum ſua decreta, & Horoſcopo inſerit : vnde in electionibus profeſſores omnes rectè docent, ſi Luna infeliciter ſe gerat, eo differatur ſaltem quo decidat à Cardinibus.

Pars Fortunæ in □. vtriuſq; maleficæ.

XXXXV.

Decub. Francisci Gasparini apud Maginum.

1591. Septemb.

D. H. M.

7. 21. 0. Horol.

Latit.
♄ 1.18.M.
♃ 1.12.S.
♂ 3.14.M.
♀ 0.43.M.
☿ 1.35.S.
☽ 4.25.M.

Declin.
♄ 21.46.
♃ 14.55.
♂ 26.45.
☉ 6.17.
♀ 11.18.
☿ 8.45.
☽ 10.25.

Ex intemperantia rei venereæ cum esset senex obijt die 14. eiusdem.

VEnus in propria domo, orientalis, cui Luna applicans iuncta est Declinatione non longè à Parallelo cosmico, intemperantiam decernit, maximè quod ♀ applicat ad ⚹. ♂.

Grauitatem: Sol lumen temporis in ♉. in sesquiquadrato cosmico ♂. Luna in sesquiquadrato in Zodiaco ♂. & □. cosmico patris ♄. manente vtroq; in centro Cardinum. Horoscopus vitæ moderator cum ☋. & ☍. ♄. & □. ☽. infelicis.

XXXXVI.

Decub. Vicarij Bellebonensis ex Boderio apud Maginum.



Ex febre diutina, quæ in tertianam, mox in quartanam conuersa tandem euanuit.

IN primis cauendum quod Saturnus poni debet in signo ♒, non autem in ♓ sicut apparet apud Maginum, cuius erroris causa ad typographum proculdubio referenda Exemplariorum Boderij: de quibus Maginus testatur figuras in ipsis adeo inordinatè, & confusè æditas esse, vt ægrè cognoscantur planetarum situs, & loca: nam Boderius ipse non meminit oppositionis ♄, ad luminaria. Quapropter, & in sequenti etiam

Exem-


Exemplo apud Maginum Saturni locus corrigendus est.

In hoc Exemplo decubitus contingit Eclipsis Solis magna, & conspicua, cum sesquiquadrato luminarium ad Horoscopum vitae moderatorem: tenebrae autem Eclipsium, naturam Saturni procul dubio sequuntur. Luna Solis radijs excalefacta, ait Boderius, morbi malignantis non autem lethalis indicium affert. Quod probabile censendum.

Non fuit lethalis morbus, quoniam Horoscopus, cui vitae moderatio debetur, liber à maleficis erat, immo souebatur à ♃. & ♀. orientalibus.

XXXXVII.

Decub. Thomae Boderij apud Maginum.



Ex diutina deinde quartana.

ÆGrotaui, ait ipsemet Boderius, febre diutina cum thoracis, & hypochondriorum grauitate, spacio 7. septimanarum, mox in quartanam febris conuersa perdurauit duos circiter annos, & conualui &c.

Qualitatem: Sol vitæ moderator cum ♂. & Regulo in 9. domo, & cum ipso ☉. ex vna parte æstum à flaua bile suscitatum significat; in signo ♌. & 9. domo thoracis affectiones innuit. Saturnus in Horoscopi centro, & cum Parte Fortunæ in signo autumnali inuentus, ex altera parte copiam atræ bilis; & hæc separatim; etenim Saturnus non communicat cum Sole. Ad Horoscopum additur sesquiquadratus radius ☿, qui Parallelo Declinationis communicat cum ♄. ideoq; hypochondriorum grauitatem exhibuit. Et Soli quidem △. radio succurrit Iuppiter feliciter, & robustè se gerens, tum etiam Venus Parallelo Declinationis: sed cum atra bilis non ita facile, & cito superari possit, superstes apparuit ex ea febris quartana. Cumq; ad Horoscopum, & Partem Fortunæ non pertineat vitæ moderatio, tandem etiam quartana extincta est.

XXXXVIII.


Decub. Io. Antonij Magini, apud eundem.

Ex Quartana.

ÆGrotare cæpi febri quartana sub hac cæli constitutione, ait ipse, in qua Saturnus morbi author, & ascendentis dominus sextam ægritudinum domum obtinet &c. sed hæc ratio apud nos non sufficit.

Sol lumen temporis manet in □. cosmico ♄. penè exquisito, nam ♄. propter latitudinem meridianam, ponitur infra cuspidem 6. domus, sed quod valde refert, Sol applicat ad hoc □. ♄.

quoniam



quoniam maior est arcus semidiurnus Solis, quam seminocturnus Saturni, quare Saturnus velocius fertur ad cuspidem domus 5. quam Sol ad 8. nam vt apparet in tabulis Domorum posito gr. 11. ♎. in domo 8. inueniuntur gr. 29. ♊. in domo 5. Sol igitur applicat successiuè semper ad □. ♄. in mundo. Addo quod ☿. iunctus erat Soli corpore, & Declinatione: ipse autem ☿. in exquisito □. cosmico Saturni reperiebatur: quo Soli Saturni qualitates communicabat.

Item Luna obtinebat Parallelum declinationis ♄. & obedientem; semper magis applicando, quoniam ☾. descendit ad tropicum ♑. & acquirit maiorem declinationem.

Luminaria manebant in signis autumnalibus, & ad inuicem in □. & Parallelo cosmico, & ad Horizontem in sesquiquadra-

to, quibus magnopere propagabant qualitates à Saturno assumptas.

Non fuit lethalis morbus, quoniam ☉. vitæ moderatrix in sextili cosmico ♃. manebat, & finibus ♀. & ♃. fouebat Horoscopum radio △. à IX. domo.

XXXXIX.

Occubitus Henrici Ducis Montmorantij, ex Argolo.



Violentus mulcta capitis.

IN hoc themate Sol lumen temporis in 8, cum quo Pars Fortunæ iuxta ☋. in sesquiquadrato ☽. applicans ad Declinationem, & ☍. Iouis infelicis ob regressum, casum ab angulis, opposi-

oppositionem ♄. declinationem maleficarum, & fixas Pleiadum, quibus indignationem Principum ostendit, iuxta ea, quę docet Ptolemæus lib. 4. cap. 9. Luna sub Parallelo cosmico ♂. & Antaris, cum quo Declinatione communicat, item cum Hirco, & fixis Orionis, in sesquiquadrato ☉. in opposito Culminis constituta: quibus in ostentum declarat casum, vt ibidem habet Ptolemæus. Cumq; ♃. & ☉. non longe ab imagine Capitis Medusæ, absint, capitis mulctam.

Hoc autem in violentis casibus notaui quod pręter ambarum infortunarum conspirationem associatæ illustriores ex martialibus fixis Stellæ ferè semper inueniantur.


Cæterum post plures decubitus morborum ex qualitatibus, & affectionibus internis prouenientium, placuit ex ijsdem Magino, & Argolo non nulla desumere Exempla violentorum ab externis causis casuum.

Et primo loco occubitum Henrici Ducis Montmorantij, in cuius Natali perdiù tortum sum; cum enim Pars Fortunæ more consueto collocata vitæ moderationem obtineret, neutro, siue recto, siue conuerso mihi apparuit Directionis motu ad maleficas appulisse. Tandem ex principijs nostræ Cælestis Philosophiæ mutata sententia Partem Fortunæ collocauimus modo nuper quem suasit eruditissimus D. Adrianus Negusantius in nostro Primo Mobile iam expositum, ibiq; relucet, & præclarè huius methodis veritas. Cum enim more antiquo Pars Fortunæ poneretur in gr. 8. 2. signi ♍. nunc ponitur in centro XI. Domus vt est videre in infra posito Themate Natalis eiusdem.

Vbi in primis notandum inueniri infeliciter positos moderatores omnes. Pars Fortunæ, cui debetur vitæ prorogatio, manet cum ☋. & in exquisito Parallelo cosmico Martis, cum ☍. Solis. Sol iuxta caput Medusæ, inter Parallelum Declinationis ♂. & ♄. non longè a □. tum cosmico, tum in Zodiaco ♄. manentis in 8. Hunc enim Aphorismum sempiternę veritatis inueni, videlicet.

Latit.
♄ 1.25.S.
♃ 1.6.M.
♂ 1.36.M.
♀ 0.15.M.
☿ 1.32.S.
☽ 5.14.M.

Declin.
♄ 17.3.
♃ 3.17.
♂ 12.33.
☉ 14.51.
♀ 2.36.
☿ 19.33.
☽ 23.54.



Malefica in 8. domo lædens vel vitæ moderatorem, vel luminare aliquod, maximè temporis: ſiue è contra quodcunq; luminare præcipuè conditionarium in 8. domo repertum ſi à maleficis lædatur, & vtrobiq; remotis beneficis, violentum exitum decernunt.

Item Sol ponitur in Parallelo coſmico Martis, & Luna quadrato radio eidem iungebatur ad illuſtriorem exitum, iuxta Ptolemæi doctrinam ſupra allegatam. Luna à beneficis omnino aliena ad ☍. ♄. properabat habens Declinationem Antaris, in Horoſcopo ferè inuenti. Horoſcopus tandem in ſeſquiquadrato ♄.

Item notandum Mercurium inter quadratum ♂. & ♄., &

Paralle-

Parallelum Declinationis vtriusq; & cum Pleiadibus inueniri, quo procliuem ad incommodum consilium reddit natum; neq; enim sextilis beneficarum Mercurio prodesse poterat, quoniam illæ secundum vires maleficis inferiores, vtpote ab angulis remotiores, & à luminibus disiunctæ.

Tempore occubitus Pars Fortunæ Directionis motu peruenit ad □. ♂. cum præcessisset fixa Antaris: etiam secundum Declinationem: nam Declinatio Partis Fort. est eadem semper quæ Lunæ. Supputatio talis est.

Primò definio locum Partis Fort. hoc modo.

Ascensio obliqua Solis in Horoscopo est p. 20. 25. quæ detracta ab Ascensione obliqua Horoscopi, relinquit Solis ab eodem distantiam p. 257. 32. cui addo ascensionem rectam Lunę, quæ est p. 309. 50. & efficio ascensionem rectam Partis Fort. p. 207. 22. à qua dempta Ascensione recta Culminis remanet distantia Partis Fort. à Culm. p. 19. 25. Habet autem Pars For. declinationem Lunæ p. 23. 54. cuius differentia ascensionalis p. 29. 29. Quare arcus semidiurnus erit p. 60. 31. & emergunt horaria temp. diurna p. 10. 5. quæ geminata efficiunt p. 20. 10. spatium, seu tempus, quo ⊕. seu Pars For. supra terram lustrat vnam domum: Cum vero distantia Partis Fort. à Culmine sit p. 19. 25. remanet distantia eiusdem à centro XI. Domus versus X. p. 0. 45.

Ascensio obliqua ♂. in Horoscopo est p. 348. 15. à qua detracta ascensione obl. Horoscopi, relinquitur distantia primaria ♂. gr. 70. 18. ab Horoscopo.

Declinatio ♂. p. 12. 33. respondens ad gr. 3. ♏. Eclipticæ, cuius horaria tempora nocturna p. 17. 23. Quæro nunc: si horaria tempora Partis Fort. p. 10. 5. dant eiusdem distantiam à Culmine p. 19. 25. Horaria tempora ♂. p. 17. 23. dabunt distantiam eiusdem ab Horoscopo secundariam p. 33. 29. quæ detracta à primaria, relinquit Arcum Directionis p. 36. 49. Hunc pro æquatione addo ad Ascensionem rectam Solis, quæ

est p. 37. 32. & efficio summam p. 74. 21. respondentem ad grad. 15. 40. ♊. ad quam Sol à die natalis peruenit diebus 37. & quadrante ferè, qui totidem Annos indicant.

Ne quis verò cuncta hæc ad Calculum allata inania decernat; nota nunc Lector humaniss. Addo ad Ascens. rectam Culminis arcum Directionis p. 36. 49. & efficio summam p. 224. 46. cui debentur gr. 17. 15. signi ♒. collocandi in Culmine tempore expletæ Directionis; tunc autem in cuspide domus XI. inueniuntur gr. 8. ♓. vt videre est in Tabulis Domorum: In decubitu Mars ibidem in gr. 6. 49. in testem veritatis huius calculi inuentus est occubitus momento; immò vno gradu distans, sicut distat ipsa Pars Fort. ab XI. Domo versus X. ad exquisitum assensum: subsequente ♄. Item occubitum præcesserat Plenilunium in gr. 5. ♉. & cum Eclipsi ●. ex aduerso Partis Fort. natalis. Tandem Pars Fort. in occubitu, vna cum Sole ponitur in situ cosmico Saturni natalis: Quid vltra quærimus?

L.

Decub. Michaelis Mazzarini Cardinalis, ex Argolo.

Violentus fortuito.

Clauus ferreus pedem transfodit nati dum progrederetur, statimq; febre correptus, die 31. eiusdem obijt.

Horoscopus vitæ moderator cum □. ♂. & Mars angularis in Imo cum Syrio supra ♄. & ●. eleuatus Parallelo Declin.; Luna lumen temporis inter Declinationem maleficarum. Sol in □. cosmico ♄. in 6. & ♄. cum fixis Orionis, & ☊. Pars Fort. in □ ♄. grauitatem casus insinuant, & simul violentiam. Cumq; ad Horoscopum pertineat vitę moderatio, & in eo ponatur imago ♓. & præcisè linum, atque iuxta hanc imaginem Pars Fort. pedum læsionem declarant; at verò Sol cum Regulo, & ambo lumina in ♌. in 6. febrim in corde accendunt ad necem.



Præcesserat Plenilunium in gr. 12. ♒. iuxta ☍. ♂. natalis,& in Decubitu ☾. ponitur super locum ♂. natalis, vt notat etiam Argolus: ♂. in □. Partis Fortunæ: ♄. ex aduerso loci Directionis Partis Fort. Nam in natali si ponantur gr. 10. ♑. in Culmine, vt censeo, Pars Fort. vitæ moderatrix peruenit ad ☌. ♄. in annis 43.


Cæterum iam Sol, & ♃. in natali ferebantur motu vniuersitatis cum radio △. ad inuicem, quem radium successiue acquisierunt post natalem: quod notatu dignum est: & de simili applicatione loquuti sumus in nostro Primo Mobile Exemplo 24.

LI.

Decubitus Henrici II. Galliar. Regis, ex Argolo.

Latit.	
♄	1.51.M.
♃	1.41.M.
♂	3.54.M.
♀	1.28.S
☿	0.29.S.
☽	4.56.S.

Declin.	
♄	19.51.
♂	26.18.
☿	16. 8.
♀	19.51.
☽	28.19.



Violentus Fortuito.

IN haſtiludijs oculus ſauciatur ad necem quæ die 10. Aug. ſubſequuta eſt.

Menda, quæ in figura ab Argolo expoſita apparent circa Horoſcopum, ♄. ●. ♂. &c, correximus.

Grauitatem: Sol lumen temporis in Parallelo coſmico ♂. qui ob latitud. merid. ponitur ſub cuſpide 12. domus: manet vero Sol cum Declin. Syrij Aldebaram &c. in 8. domo, non longe à Declinat. ♄. & ♀. Luna cum Declinat. ♂. ſub Parallelo

lelo cosmico ☿. qui Saturni naturam induit ex Parallelo Declin. Item Luna cum Declinat. Antaris, qui erat cum ♂. tandem ☉. cum fixa Procyonis in 6. Horoscopus in sesquiquadrato ♄. Pars Fortunæ in ☍. ♄. luminaria in finibus maleficorum.

Mars cum Antare. Saturnus cum Aldebaram, quæ luminaribus Declinatione permixtæ sunt; violentiam indicant.

In Horoscopo obscuræ Equiculi, ☉ in via lactea cum Declinatione earumdem Equiculi, quod obseruatione dignum est, oculos respiciunt: cumq; Mercurius Angularis inueniatur præ cunctis, & cum omnibus communicatus, ex ludo iuxta Ptolemæi doctrinam lib. 4. cap. 9. item ☿. cum obscuris Cancri & Aselli. Mars quoq; in via lactea. In Horoscopo Cuspis Sagittæ: quæ ad viuum exprimunt casum.

Mercurius admixtus solet occasionem præbere vel in palæstris, & gymnasijs, vel in seditionibus: ita docet Ptolemæus lib. 3. cap. 16.

LII.

Decub. Henrici III. Regis Galliar. ex Argolo.

Violentus irruptione.


Vlneratus in ventre inferiori gladio virulento obijt die 23.

Dicit Argolus quod vulnus iniectum fuerit hora 1. cum dimidia circiter ante meridiem, ad quod momentum ascendunt gr. 13. 33. ♎. & in Culmine ponuntur gr. 17. ♋. Cum vero Argus ponat in Culmine gr. 3. ♋. figura eius erecta est ad horam 21. min. 29. P. M. scilicet duabus horis, cum dimidia ante meridiem. Ego autem probabiliter censeo verum momentum fuisse ad horam 1. min. 55. ante merid.

Grauitatem: Sol lumen temporis, & vitæ moderator in □. & declinatione ♂. applicando, & in Parallelo cosmico ♄. non longè discedens ab eiusdem Declinatione duobus scilicet tantum

Latit.
♄ 2.1.M.
♃ 1.1.S.
♂ 1.7.M.
♀ 0.52.S.
☿ 0.6.M.
☽ 3.56.M.

Declin.
♄ 20.17.
♃ 5.54.
♂ 16 57.
☉ 18 11.
♀ 18.42.
☿ 9 14.
☽ 4.2.



tum gradibus. Venus quidem Soli iuncta est, sed separando, & cum eisdem ab infortunis radijs, & iuxta fixam Hydræ. Luna habet sesquiquadratum cosmicum cum ☿. qui vtriusq; malefic æ naturam induens ob □. & Parallelum cosmicum a ♂. & □. à ♄. crudelissimi proditoris induit naturam, & cum industria; in proprio enim carpento, quod signum humanum est, vehitur orientalis. Mars cum Declinatione Syrij Aldebaram &c. Saturnus iuxta hyades, & fixas Orionis. Mars verò, & ☿. principales causæ mali possident signa, quę ventri præsunt, & in Horoscopo ♎. quæ similiter, & ☽. in occasu idipsum significat.

Quoniam autem Venus, & Hydra circa Solem infeliciter manentem, & iuxta ☊. virus intermittunt, iuxta ea quæ docet Ptol. lib. 4. cap. 9.

LIII.

Decub. Henrici IIII. Regis Galliarum, ex Argolo.



Violentus irruptione.

Grauitatem: Sol lumen temporis in 8. domo sub □. ♄. & □. cosmico ♂. inter Pleiades, Hyades, & plures Orionis. Luna in Parallelo Declinationis solis applicans, & □. ☿. malefici ob □. cosmicum ♄. & Declin. ♂. Cumque circa solem, quamuis maneat Venus, non ad sint fixę veneficæ, diuersa in hoc à superiori apparet ratio.

LIV.

Decub. Baptistæ Cardani, ex Cardano apud Maginum.



Violentus irruptione.

VIR sexagenarius brachij transfossionem perpessus non statim grauatus est, sed in quarta, & sine febre, hinc ad vsq; decimam adeo leuatus, vt surgeret: in vndecima, hora noctis 3. febre & sanguinis profluuio grauiter correptus, die 14. quæ fuit 2. Ian. expirauit.

Grauitatem: Sol cum sesquiquadrato ♂. iuxta serpentis tempora. Luna inter oppositum ♂. & coniunctionem ♄. Mars autem

erat

erat cum Basilisco, & ☊. Luna cum ☋. in □. cosmico ☿. qui maleficorum naturam hauriebat ex radijs & signo; nam à ♃. ægras qualitates ob mutuum, ab exaltatione casum, & Iouis regressum, & à ♄. ☍: erat quoq; ☉. in finibus ♄. Non statim grauatus est, quoniam Luna ab ☍. ♂. & Sol ab eiusdem sesquiquadrato separabantur. Luminaria in mutuis à domibus detrimentis se se excipiebant: cum ergo in 4. & 11. tetragonum, & ☍. haberent ad inuicem, grauatus est æger: vbi ☉. tetigit suam diametrum extinctus est.

Hoc exemplo docemur à planetis retrocedentibus perpetuo timendum: reciduas enim grauissimas, licet moram gerant afferunt. Luna cum ♄. in noua brachij læsionem definit: etenim 11. domus 10. & 9. tum pectus tum brachia, & manus respiciunt: item signum ♋. in Horoscopo hoc idem.

LV.

Decubit. Brunori Nasini, ex Argolo.


Violentus seditione cum recidiua lethali.

VVlneratus in fronte, & manu, conualescebat, sed ex intemperantia omnis generis in recidiuam lapsus cum spasmo obijt 13. Aprilis.

Sol lumen temporis cum ☿. retrocedente, qui naturam ♄. Declinatione suscipit; eamq; cum Sole communicat; Sol vero cum Luna ex Declinatione. Luna cum ♄. & ☋. & cauda ☊. Pars Fortunæ in ☍. ♄. & ☉. in 6. In hoc quoq; exemplo ♄. & ☿. mali authores retrocedunt, & recidiuam lethalem suscitarunt. Sol in ♈. respicit Caput. ☉. in ♍. manus, potissimè à 12. ad 11. domum. Nam nota Lector: ☉. in ♍. descendit infra manum: in 12. descendit infra collum vt manum, quæ intermediat sumamus. Contingit autem mutua domorum permutatio inter tres ♄. ♂. & ☿. quæ notanda.

Latit.
♄ 1.53.S.
♃ 1. 4.M.
♂ 0.27.M.
♀ 0.53.M.
☿ 3. 0.S.
☽ 0.31.S.

Declin.
♄ 7.10.
☉ 4.10.
♀ 7.14.
☽ 5. 3.



Venus in proprijs dignitatibus permixta Saturno morbi authori retrocedenti, recidiuam ex intemperantia insinuat.

LVI.

Decub. Io: Bap. Tirundulæ, ex Argolo.

Violentus seditione.

VVlneratus grauiter in genu; quod tandem cum toto crure abscissum fuit, conualuit; assumpto ligneo crure. Grauitas in hoc Decubitu perspicua est ex Luna temporis domina posita in ♉. cum ♄. □. ♂. ☉. & ☿. Sol cum ♂. ☿. & □. ♄. &



♄. & ☽. Mercurius permiſtus maleficis, & luminaribus ſeditionem declarat. Luna cum declinatione ſyrij, Aldebaram &c. Inter tot maleficorum ſtellarum conſpirationes mirum profecto ægrum ſuperuixiſſe: Luna quidem ſubleuatur à ✶. ♀. habetq; diuerſam latitudinem à ♄. & ambo luminaria in finibus beneficorum. Horoſcopus, & ☉. à maleficis liberi. Et notandum, quod ad horam 2. 0. n. s. poſitam à Magino in medio figuræ, aſcendunt in Horoſcopo gr. 26. ♊. quod ſi verum ſit, ♃. & ♀. ponuntur circa angulum occidentis. Luna in ♒. & Sol in ♏. in quinta domo reſpiciunt coxas, & genua, atq; inferiores corporis partes: vt etiam obſeruauimus in exemplo 33. huic non diſſimili, quoad partes corporis obnoxias.

Decemb.

LVII.

Decub. Gustaui Adolphi Regis Suetiæ, ex Argolo.

Latit.
♄ 1.48.S
♃ 1.12 M.
♂ 0.37.M.
♀ 0.50.S.
☿ 1.50.M.
● [illegible]

Declin.
♄ 17.50.
♂ 19.50.
● 22.58.



Violentus in bello.


GRauitatem; Sol lumen temporis in 8. in ſuo caſu cum ☿. retrocedente, & ☋. Luna inter maleficos, & fixam Antaris cui per longum, & latum iungebatur,

De ijs qui in bello decidunt obſeruaui, vt plurimum tres planetas ſuperiores, vel omnes tres, vel duos inter ſe hoſtili radio, vel Declinatione, vel corpore iunctos eſſe: in his enim radijs exuſcitant diſſidia, & bella inter nationes, & Reges.

De motu huius Regis ad bellum vide, ſi placet, quæ notaui in Cæleſti Philoſ. cap. de nouis Phænomenis.

LVIII.

Decub. Sebaſtiani Regis Portugalliæ, ex Argolo.




Violentus in bello.

GRauitatem: Sol lumen conditionis, & vitæ moderator cum Corde ♌. ſub Parallelo coſmico ♄. addito △. ♂. in Zodiaco, & ſeſquiquadrato in mundo ſine vllo beneficorũ. auxilio; fines ſunt ☿. Luna in 8. inter ſeſquiquadratum ♄. & ♂. Pars Fort. in ☍. ☼. ſub Parallello coſmico ♄. Cæterum hic quoq; Planetæ ſuperiores, radio ſe ſe inuicem hoſtili intuebantur: etenim ♂. cum ♄. quadratum licet ſuperaſſet, regreſſu poſtea iterum, atq; iterum contrahit; ♃. vero applicabat: &c.

LIX.

Decub. Andreæ Cornelij Senatoris Veneti, ex Argolo.




Violentus in bello.

SOL lumen temporis in suo casu circa centrum 8. domus in ☐. ♂. & declinatione Lunæ, quæ ad sesquiquadratum ♂. applicat. Mars in sesquiquadrato Horizontis orientalis, Saturnus occidentalis. Mars Ioui iungebatur corpore, & vterq; quadrato ♄. tam in Zodiaco, quam in mundo.

LX.

Decub. Caroli Crequij Meresc. Franciæ, ex Argolo.



Latit.
♄ 0.21.M.
♃ 1.27.S.
♂ 0.41.S.
♀ 4.52.S.
☿ 1.39.S.
☽ 5. 0.S.

Declin.
♄ 19.38.
♂ 21.32.
☿ 9.53.
☽ 11.49.

Violentus in bello.

SOL in finibus ♂. applicans ad eius Parallelum coſmicum ; Mars autem iuxta Antarem. Luna in □. coſmico ♄. & Declinatione ☿. qui Martis naturam quadrato cum eo radio recipiebat. Ad Horoſcopum oppoſitio Saturni , exoriente Syrio.

Iuppiter in □. ♄. partili manebat ; ♂. in Declinatione ♄.

Indicatiui, & Critici Dies in commoto tumultu Neapolitanæ Plebis.
Anni 1647.

EXPLETO promiſſo Exemplorum numero decumbentium, liceat ſubdere contemplationem aſtronomicam notatu dignam, quæ fortaſſe Principibus, & Rebuſp. ad commune bonum non modicum proderit, ſi prudenter ſiderum conſpirationes præuideantur, ingentis videlicet illius tumultus Neapolitanæ Plebis, quæ dementiæ ſuæ Maſanellum à piſciculorum nundinis in Principem ſibi herclè dignum aſſumpſit; quem poſtea decimo die ab exordio tumultus, trucidauit &c. res cunctis notiſſima. Hinc verò planè conſtabit eamdem eſſe methodum, eademq; principia aſtronomica in vniuerſis rebus: atq; veriſſimum afferri à Galeno, qui lib. 3. de Dieb.Decr. teſtatur Criſes in cunctis rerum generibus pari modo, & methodo contingere: vnde ad præcauenda, vel medenda publica mala licebit aſſumere ex aſtronomicis obſeruationibus tempora ipſis rebus congruentia.

Exordiar autem ab omine, ad præclaræ huius artis, non hominis laudem, & vt diſcamus à natura vt plurimum præmitti ſigna ſuorum eliciendorum effectuum. Morabatur Aſtronomicarum rerum Profeſſor apud Forũ Cornelij Anno 1646. & die 29. Ianuar. hora ferè 3. noctis ſeq; quæ immediatè præcedebat futuram lunarem Eclipſim, vidit circa Lunam luminibus plenam circulum fulgentem diametro gr. 40. ferè, ad quem à Luna in eius centro manente quatuor radij micantes ducebantur in modum Crucis, in quorum ſingulorum cum circulo contactu noua fulgebat Luna: duo ex prædictis radijs in vnam rectam lineam conuenientes, à vertice perpendiculariter Finitorem verſus deſcendebant; reliqui duo, vel vna recta linea ad Horizontem Parallela, vſq; ad Venerem ab occaſu adhùc

superstitem porrigebantur: & post circiter horam noua hæc euanuerunt cuncta.

Retulit Professor visionem hanc Excelso Principi, cui sciscitanti & causas, & effectus respondit, hanc quidem meteorologicam impressionem, & proculdubio apud regionem aeris, ob eius nimirum consertam vaporibus plenitudinem, vt ex opticis principijs, & rationibus planè constat: ex qua propterea copiosissimos imbres futuros. Cæterum cum hisce Annis plures Luminarium in signo Leonis, quod Italiæ præest, Eclipses appareant, ominari aliquibus Italiæ Prouincijs ingens malum.

Et sanè quidem pluuiæ continentes, & copiosissimæ, quæ ceciderunt sequenti Autumno, & Hyeme notæ sunt, vt Padus iuxta Cremonam exundarit; sterilitas terræ, & caritas passim, tum bella in Insubria subsequuta sunt: tandem Panhormi, & Neapolis tumultus, & commotiones formidabiles. Sed ad causarum contemplationem accedamus.

Anno 1645. die 10. Febr. hor. 3. noc. seq. apparuit Eclipsis Lunæ satis conspicua, licet non totalis in gr. 23. signi ♌. Rursus Augusto eiusdem Anni die 21. hor. 18. Eclipsis Solis in gr. 28. ♌. non quidem totalis, immò minoris vmbræ, quam illa Lunæ. Item Anno 1646. die 30. Ianuar. hor. 14. noc. seq. alia Eclipsis Lunæ in gr. 12. ♌. totalis. & diuturna, vt 4. horas absumpserit. Tandem Anno 1647. Ianuarij die 20. hor. 6. noc. seq. alia Eclipsis Lunæ in gr. 1. ♌. culminante Syrio, quæ licet non apparuerit totalis, satis tamen conspicua; sed quod valdè refert, Mars, & Iuppiter retrocedentes iuncti cum Luna, & in □. ♄. & opposito ☿. retrocedentis inuenti sunt: at verò Mars à □. ♄. in quo dum primam stationem haberet Decembri superioris Anni positus fuerat, per regressum separabatur: Iuppiter verò quadratum cum ♄. nondum attigerat, cum tamen applicaret; existentibus ♂. & ♃. in ♌. & ex oriente cum ipsis Syrio. Mars igitur post directum cursum

initio Aprilis cum ♃. iunctus est; deinde Maio cum ♄. Parallelum, mox quadratum habuit; Iuppiter verò initio Iulij peruenit ad Parallelum Declinationis, & quintilem ♄.


Et sanè quidem signum ♌. in quo hæ multiplicatæ Luminarium obscurationes apparuere, Italiæ dominatur teste Ptolemæo lib. 2. cap. 3. Cum verò sit signum igneum, atq; hisce temporibus superiores ad inuicem & radijs hostilibus, & Declinatione communicarent, censeo indubitanter, quod in Cælo ignitum aliquod meteorologicum corpus inseruissent, quod vel nubibus, vel diurno iubare tectum, vel in curia neglectum, incognitum euanuisse.

Vt cumq; fuerit cum præcessissent tot Luminarium in signo ♌. Eclipses, Planetæ superiores varias, & multiplices, tum etiam repetitas familiaritates, vel hostiles, vel ancipites ad inuicem contraxere in toto Anno 1647. & sequenti 1648. quas esse causas ingentium effectuum in Orbe vniuersalium, tradit Ptolemæus lib. 2. cap. 4. dicens. *Non est prior, neq; potentior causa huiusmodi casuum, quam quæ ducitur à defectuis Solis, & Lunæ copulationibus, & transitibus stellarum illarum tempore &c.* id quod docent etiam Authores antiqui, & Arabes. Etenim hostiles vel ancipites familiaritates superiorum bella, & turbulentias commouent; benignæ verò pacem, & tranquillitatem, maximè si Principum natalitiæ constitutiones assentiantur, vt videre est tum elapsis seculis, tum labente.

Cæterum inter omnes supra relatas Eclipses plenior, & robustissima omnium apparuit, quæ nocte diei 30. Ianuar. 1646. cuius effectus, quoniam occidentis regionem lustrauerat, ad priores sequentis Anni 1647. menses differebantur; ibiq; Ianuario de nouo Luna in signo ♌. obscurata est circa XI. Domum, manentibus, vt dixi, tribus superioribus inter se hostiliter configuratis, quæ suos effectus minabatur post quinq; menses ferè: Vbi igitur Saturnus, & Iuppiter sub eodem Declinationis Parallelo positi sunt, & in radio quintili die 7. Iu-

lij,

lij, erupit Neapolitanæ Plebis commotio ad horam 17. min. 30. ferè ab occasu Solis, sub hac videlicet Siderum constitutione.



IN qua figura notandum primò Saturnum, & Iouem, vt iam dixi, ad eumdem Parallelum Declinat. peruenisse: atq; Saturnum & Martem habere ad inuicem quadratum cosmicum. At verò quod coniunctiones, quadrata, oppositiones, & Paralleli horum siderum inter se ingentes effectus producant, & in Cælo, & in Terra, constat exemplo superiorum temporum, tum ratione, de quibus iam à nobis satis dictum est.

Secundò, Notand. Cæli culmen in hac figura esse gradum nouissimæ Lunaris Eclipsis, atq; cardinem præcedentem in Eclipsi Lunæ Ianuarij 1646. quo diametrales Martis radij ab

Oriente

Oriente eiusdem Eclipsis conspirabant: vbi scilicet manebat Pars Fortunæ, quæ in hac figura in loco Martis illius Eclipsis inuenta est, in centro anguli subterranei.

Tertiò, Præcessisse Nouilunium iuxta Syrium, cum quo exoriebatur ♃. assidebat verò Syrius in præcedenti cardine posterioris Eclipsis.

Quartò, Iouem super loca Eclipsium Lunæ inueniri, atque in Cæli culmine positum, eleuatum supra ♄. quibus titulum æquitatis, & libertatis promouet.

Quintò, Solem in signo mobili, Lunam in communi, ad nouitatem, & velocitatem rerum.

Sextò, Solem in ✶. ♂. & Lunam in △. ♄. & ♂. atq; Declinatione ♂. fauere plebeis ignobilibus, & truculentis.

Septimò, Solem in signo fæcundo, & Lunam in communi ad alliciendam multitudinem.

Octauò, Omnes Planetas supra terram, quæcunque tecta, & occulta, vel silentia ad publicam libertatem cum vnanimi consensu vocare.

Nonò, Saturnum sub □. ♂. in 8. Domo, qui trino radio intuetur Partem Fortunæ cuius etiam signo imperat, neces vectigalibus minari: maximè quod Pars Fortunæ in Eclipsi Lunæ supradictæ fuerat in ☍. ♂. vnde etiam incendia subsequuta sunt.

Decimò, Luminaria in signis fæmininis, & in cadentibus mundi locis, modicam ad res gerendas habilitatem commoti populi demonstrare.

Vndecimò, Lunam in augmento lucis augere multitudinem, vt solet in morbis.

Duodecimò, Lunam in finibus ♂. sub eiusdem Declinatione, & △. ♄. feritatem incendia, & neces innuere.

Decimotertiò, Solem temporis lumen à maleficis solutum conseruare ius Optimi Principis; maximè quod vltima Lunæ Eclipsis contigit in XI. Domo, è qua aulicos, minimè verò Reges intuebatur; atq; prior, quæ in occasu, legum, & institutio-

num

num mutationes, &c. Vt docet Ptolemæus agens de Eclipsibus.

Decimoquarto, Tandem Solem in signo mobili, Lunam in communi cum ☍. lumine crescentem demonstrare accidens vehementissimi metus cum incendijs, & nece, ideóq; peracutum, vt contingit in morbis: quoniam verò sicut dixi superiores inter se hostiliter communicabant, accidens ex peracuto in chronicum conuersurum minabantur.


Cæterum quoad Crises obseruandum est, quod in 4. die ab initió tumultus quæ fuit 10. Iulij, vbi Luna lustrauerat gradus 45. ferè, firmatæ sunt conuentiones, & vectigalia antiquata, dumq; publicari deberent, introducti sicarij numero 500. vt & Massanellum, & comites interficerent; quod fortè non contigit, quamuis tormentis igneis illum petijssent; quæ res publicationem prædictam reiecit; hæc autem dies 4. fuit indicatiua Crisis, quæ futura erat in 7. nimirum die 14. Iulij vbi Luna absoluerat gr. 90. in qua Massanellus lubens postulat, abdicari ab imperio, mente capitur à populi aliqua parte relinquintur, & in eius vitam agitur: &c. cumq; signa prædictæ quartæ indicatiuæ diei apparuerint imperfecta, Crisis quoq; in die 7. imperfecta apparuit, etenim adhuc perseuerabant res vt prius. Redeo ad quintam diem, quæ fuit 11. Iulij, in qua iterum conuentiones stabilitæ, tandemq; vulgatæ; Hac die Luna peruenerat ad suum sextilem; fuit ergo indicatiua diei 10. quæ 16. Iulij vbi Luna peruenit ad suum △. ab initio tumultus, in qua interfectus est Massanellus manè dum Sol locum ☍. in mundó teneret, Luna verò propriam ibi oppositionem. Quæ post Massanelli occubitum subsequuta sunt, & quæ Crises, quibusue temporibus, quoniam accidens ex acuto in chronicum tandem conuersum est, studio lectoris relinquo.

Ex his verò docemur etiam in rebus bellicis, immò & ciuilibus, vt Galenus afferit dies criticos, & indicatiuos seruare suam methodum prout Cœli Luminaria mouentur, Vnde ingens commodum colligere possunt militum Duces, videlicet

obser-

obſeruando quæcunq; accidunt ſingulis diebus; deinde ſimilia in quaternionibus aliiſq; luminarium radijs præſtolari: maximè vero in obſidionibus, ſimiliter & negociatores quicũque. Quoad vniuerſales cauſas hactenus dicta ſint: ad peculiares accedamus. Hæc fertur eſſe geneſis Maſſanelli.

Latit.
♄ 1.24.M.
♃ 1.14.M.
♂ 0. 3.S.
♀ 2.21.S.
☿ 3.53.M.
● 4. 2.S.



Quoad Luminarium ſatellitium, Sol in ſigno maſculino, & in angulo ſub ſextili coſmico Iouis exquiſito, qui orientalis eſt, ad ſuperiorem Cardinem trigono configuratus, atq; per Venerem quadrato intuitu roboratus: item Sol defluit à ♂. & ♄. ſub eorum tamen Declinatione, omnes autem Orientales ſunt, prę-ter ☿. & ●. Mercurius ob latitudinem iungitur intra gradum cum Aldebaram, poſitus in ſextili ♀. & △. ●. coſmico, inter Hyades, atq; occidit cum Syrio, cum quo Parallelo quoq; Declin.

com-

communicat, quod obseruatione dignum: erat enim ☿. satellitij Luminarium dominus.

Luna manet in △. maleficarum in Zodiaco, & sesquiquadrato cosmico, atq; △. Mercurij item cosmico.

Culmen cum Sextili, vel Quintili Solis ♄.& ♂.& △. ♃.

Sol Directione primaria motu recto peruenerat ad gr. 25. ♋ vbi iam attigerat Quintilem ♃. motu verò conuerso ad ☿.& occasum, vbi fixæ micantes prædictæ insidebant.& sextilis Veneris, atq; △. ☉. Cumq; luminarium satellitium maximè maleficorum, in signo communi, atq; etiam in Culmine signum commune, Plebeæ multitudinis obsequium ostendebant.

Quoad vitam Sol fuit moderator, qui Directione recta cum peruenisset ad gr. 25. ♋. manebat sub Parallelo Declinationis maleficarum. Conuersa vero ad occasum proculdubio, vna cum maleficis, à quibus propterea Parallelum cosmicum perpessus est; siue deinde fiat cum subductione à maleficis, siue non, latebant enim hi sub Solis radijs. Hoc vnum certum est, quod contingit momentum Climactericum penè exquisitum, vt ex loco Lunæ secundariæ Directionis apparet. Horis enim natalis addimus dies 27. & horas 2. pro Annis 27. & vno mense, & peruenimus ad diem 16. Iulij cum horis à meridie 7. 29. eiusdem Anni 1620. quo tempore Planetæ positi sunt in his locis.

☽	☉	♄	♃	♂	♀	☿	☊
♋	♒	♊	♉	♋	♍	♋	♓
24. 0.	16.40.	29 44.	15.51.	10. 4.	8 17.	15.11.	23.52.
	S.	M.	M.	S.	S.	S.	
Lat.	3.56.	1.25.	1.24.	6. 7.	1. 4.	0. 5.	

Vbi vides Lunam redijsse ad natalitium suum locum sub sesquiquadrato ibi Saturni, & Biquintili ♂. Sol ambulabat inter Sextilem, & Quintilem ♃. Die tumultus Sol fuit in ⚹. ♃. horum motuum. Die occubitus Massanelli Sol peruenit ad hunc eundem suum locum cum ☍. ☉.

Ad horam illam 7.29. diei 16. Iulij 1620. Directionis secundariæ, Sol positus est in puncto ipsius Occasus exquisite, quò Directione conuersa peruenerat, vt diximus, quod mirum est, & obseruatione dignum.

Præcesserat tumultum Populi, & Massanelli occubitum Nouilunium in gr. 10. signi ♋. super locum scilicet ♂. horum motuum: & in ⚹. ♃. & ♀. in meridie vna cum Syrio culminante.

Progressiones pendent à die 27. Augusti 1622. in qua sidera hoc modo disposita inueniebantur.

☉	●	♄	♃	♂	♀	☿	☊
♍	♉	♋	♋	♌	♋	♌ R.	[illegible]
4 0.	20. 0	27.40.	20. 0.	20 0.	22. 0.	27.40.	12.59.
	M.	M.	M.	S.	M.	M	
Latit.	0.36.	0.31.	0.19.	0.11.	1. 0.	3.30	

Sol igitur applicabat ad △. ♃. radicis, & □. ☿. Die tumultus Sol super ♃. & ♀. horum motuum ●. in eorum ⚹. Die occubitus Massanelli super locum ♄. cum Plenilunio.

Notandum item Populi tumultum creuisse iuxta Lunæ augmentum, scilicet vsq; ad Plenilunium: mox ferè dissipatus est; quamuis postea ob superiorum familiaritates chronicus euaserit, atq; speciem mutauerit, & à Plebe ad Nobilitatem transierit; vt sæpè morbos contingit à bile ad nobiliores corporis solidas, & internas partes migrare, ideoq; ex acutis chronicos fieri.


Notand. item quoad assensum natalis Massanelli cum causis vniuersalibus, vnde ad Plebis imperium fuerit accitus, quod natalis Massanelli habuit Venerem super loca Eclipsium: è contra in Eclipsi Solis diei 21. Aug. 1645. fuit ♃. in gr. 29. ♊. In Eclipsi ●. diei 30. Ian. 1646. fuit ♃. in gr. 27. ♊. in quo vtroque loco Sol Massanelli, immò etiam Luna feliciter permutatur: hæc enim permutatio beneficorum, & luminarium efficacissima est ad bonum; quemadmodum ad malum commutatio maleficorum, & luminarium. Deinde in vltima Lunæ Eclipsi assidebat in Culmine, videlicet in cardine præcedente Syrius, qui in

Massa-

Massanello centrum Occasus cum ☿. & Aldebaram possidebat. Tandem in signo culminante nouissimæ Eclipsis inuentus est Sol Massanelli. Alium vidi virum cum simili ferè permutatione, qui in alio tumultu in Principem nuncupari videbatur. Neq; enim alia ratio apparet quod vniuersalis influxus descendat ad singularia passibilia, vt docet Ptolemæus lib. 2. cap. 8. dicens. *In genere autem vniuersalibus à malis potissimum corripiuntur ij, quorum in genituris præcipua loca, nempe luminum, aut cardinum eadem fuerint cum illis, à quibus vniuersalium casuum causæ veniunt &c.* Corripiuntur enim à malis, in quibus fit permutatio maleficorum cum luminaribus: gaudent vero bonis in quibus commutatio beneficorum cum ijsdem; id quod etiam contingit in ægrotantibus à Nouilunijs, & Plenilunijs, vt iam ratione dictum atq; Exemplis demonstratum à nobis est tum in hoc Opusculo, tum in Primo Mobile, tum etiam in Cælesti Philosophia.

Natalis Caroli Gustaui Sueciæ Regis.

QVando Typis Opusculum hoc incumberet peruenit ad nos cessisse fatis hunc Sueciæ Regem ex peracuta febre, atq; non nisi post recidiuam, die 23. mensis Februarij currentis Anni 1660. iuxta ea, quæ rerum Astronomicarum Professor duos ante menses scripserat ad Illustris. & pluri conspicuum titulo Virum Mediolanensem, hoc scilicet Anno forent supremum hic Rex attingeret diem; atq; biennio ante literis prænunciauerat Illustris. D. March. Maiolino Bisaccionio apud Venetias eruditionis fama clariss. adhuc feliciter superstiti, qui cum natalitia Themata Oliuarij Cromuelis, & prædicti Caroli Gustaui, e regia Poloniæ accepta transmittens, de eorum rebus, & vita percuntaretur, Astronomus respondit hos ambos intra biennium ad libycos agros ituros. Et Oliuarius quidem præcucurrit; cum verò in eius natali Hyroscopus ob-



tineat vitæ moderationem qui ad tetragonum Saturni ab Imo Directionis motu peruenit, parum nobis iuuare poterit illius Directionis obseruatio calculi:sed in Sueciæ Rege notabilis est, & digna, quam ideo ne de Professorum voluminibus in obliuionis tenebras abijciamus, placuit cum cæteris huius opusculi Exemplis inserere.

In hoc Natali moderatio vitæ ad Lunam in nona Domo consistentem proculdubio pertinet, quæ his temporibus ad plures maleficorum familiaritates directionis motu peruenerat.

Et in primis ad Parallelum Declinationis ♄. ad quem aliquot Annis antea ingressa erat; sed quoniam ipsa Luna plenitudine lucis roborata, vbi non pertimescit Saturni frigiditatem,

vt

vt supra diximus, Tauri signum suæ exaltationis lustrabat; nihil admisit ægræ valetudinis, saltem notæ; quod tamen aliquam prauam affectionem internam, non est dubium.

Arcus Directionis pro Annis 37. & triente, quos vixit Carolus Rex, iuxta methodum, quam in nostro primo mobile exposuimus, est part. 40. m. 41. Nam Sol diebus 37. & triente à natali peruenit ad gr. 3. m. 40. ♑. cuius loci ascensio recta est p. 273. m. 58. à qua detracta ascensione recta Solis, quæ est p. 233. m. 17. relinquitur arcus Directionis p. 40. m. 41.

Luna manens in centro nonæ domus obtinet eleuationem Poli iuxta Ptolemæi methodum p. 29. sub qua ascensio obliqua loci eius oppositi est p. 242. m. 16. cui addito arcu Directionis p. 40. m. 41. fit ascensio obliqua oppositi Lunæ completa Directione p. 282. m. 57. quæ sub eadem eleuatione correspondet ad gr. 1. ♑. itaquod Luna maneret in gr. 1. ♋. cum latit. merid. p. 3. m. 56. cum qua suscipit Declinationem p. 19. m. 27. quam habet ♄. vsq; ad minutum. Sed vt dixi quoniam locus est in tropico, hanc Declinationem ☉. obtinuerat ante aliquos annos: attamen in gr. 1. ♋. ingressa est fines ♂. quod notandum.

Secundo, Luna attigit Parallelum cosmicum ♂. dum ambo raperentur motu Primimobilis, cuius hæc est supputatio.

☉		♂	
Ascensio recta	gr. 52. 9.	Asc. recta	gr. 190. 32.
Declinatio	17. 38.	Declin.	3. 15.
respon. in Eclip. ad	19. 22. ♉.	respon. in Eclip. ad	8. 10. ♌.
cuius arc. semid. h.	8. 2.	cuius arc. semid. h.	5. 40.

Detraho ascens. rectam ☉. ab asc. recta ♂. & emergit distantia recta inter ☉ & ♂. gr. 138 23. Distantia ♂. à Culmine primaria est gr. 98 2. Nunc iuxta Can. 35. nostri Primi mobilis, iungo arcum semid. ☉. cum arcu semid. ♂. & efficio summam horar. 13. m. 42. quam pro regula aurea pono in primo loco: in secundo, arcum semid. ♂. hor. 5. m. 40. in tertio

tio loco distantiam inter eos rectam gr. 138. m. 23. ex quibus fit distantia secundaria ♂. à Culmine gr. 57. m. 14. quam detraho à primaria, & remanet arcus Directionis gr. 40. m. 48.

Tertio, Luna applicabat quam proximè ad □. ♂. in mundo. Ascensio obliqua oppositi ●. ad Polum gr. 58. est p. 262. 42. à qua detraho Ascens. obliquam Horoscopi p. 182. 30. & remanet distantia Lunæ ab occasu p. 80. 12. Nunc igitur si arcus semid. ●. horar. 8. m. 2. dat hanc eius distantiam ab occasu p. 80. m. 12. Arcus semid. ♂. hor. 5. m. 40. quam dabit distantiam à Culmine? & fit distantia ♂. secundaria gr. 56. m. 34. quæ detracta à primaria relinquit arcum Directionis gr. 41. m. 28.

Quarto, Luna non longè applicabat ad □. ♄. motu conuerso.

♄			
Ascen. recta	gr.	127.	29.
Declinatio	gr.	19.	27.
respon. in Eclip. ad	gr.	3.	26. ♌.
cuius arcus semid.	h.	8.	17.
Dist. recta ♄.	gr.	34.	59.

Nunc quæro si Arcus semid. ♄. hor. 8. m. 17. dat eius distantiam à Culmine gr. 34. m. 59. quam distantiam dabit ab occasu arcus semid. ●. hor 8. m. 2.? & prouenit distantia secundaria gr. 33. m. 56. quæ detracta à primaria relinquit arcum Direct. gr. 46. 16.

Patet igitur quod Luna maneret, & applicaret ad plures maleficarum familiaritates, motu recto, & conuerso.

Quibus addendum contigisse Eclipticam Lunæ obscurationem die 6. Maij præcedentis Anni 1659. in gr. 17. ♏. ex aduerso Lunæ natalis; Rursus die 29. Octobris Eclipsim Lunæ in signo ♉. atq; die 14. Nouemb. Eclipsim Solis in gr. 23. ♏. quã propè è diametro ad eamdem ●.

De momento Decubitus non constat, neq; de recidiuæ: hoc vnum certum est quod occubitum præcesserat Plenilunium in


gr. 7.

gr. 7. figni ♌. cum □. ibi ♄. ſuper ♄. natalis: atq; extinctus eſt die 23. Febr. vbi ☉. in gr. 5. ♌. inuenta eſt, in eodem videlicet loco ♄. natalis. Ex quo relucet veritas doctrinæ, quam ex Galeno attulimus cap. 16. de diebus infeſtis &c.

Tandem non deſpiciendum, quod ex Pomerania delatum fuit apparuiſſe circa meridiem diei 16. Ianuarij currentis Anni 1660. triplicatum Solem cum Iride ad Boream, & Auſtrum; quæ viſio licet non pateret tanquam reale, & confertum corpus, ſed tantum ex refractione radiorum Solis: attamen vt effectus ſuæ cauſæ indicium eſt plenitudinis, humiditatis, & intemperiei aeris, quæ noſtra deinde corpora afficit ægra valetudine. & maximè vbi contingunt permutationes luminarium, cum Eclipſibus, & lunationibus, & præexiſtunt prauæ affectiones, vt ſæpius dictum eſt, & apparet ex calculis in hoc Rege. Cæterum tum Eclipſes, tum hæc Solis triplicata facies cum Iride minantur vberrimos, & diuturnos imbres vſq; ad fluminum exundationem Autumno, & Hyeme proximè ſequentibus; non ſine diſcrimine ſubmenſionis alicuius nobilis vrbis; quoniam cum Solis Eclipſi deſcendebat Antares, atq; tunc momenti oriebantur Pleiades.

Ad Laudem DEI ſit FINIS.





DE DIEBVS DECRETORIIS ET MORBORVM CAVSA CAELESTI

Ad iuuandam præclaram Artis Medicæ Profesſionem iuxta Summor. Pontif. & Sacr. Concil. Tridentini indultum,

EPITOME ASTROSOPHICA

Phyſicis maximè rationibus, deinde Galeni, Ariſtot. & Ptolemæi præceptis contexta:

A

D. PLACIDO DE TITIS

PERVSINO OLIVETANO


In Almo Ticinenſi Gymnaſio Mathematicar. Profeſſore publicè exhibita.

Cum L. Natalium Exemplis partim apud grauiſſimos Authores inuentis, partim ab eruditorum manu traditis.

TOMVS SECVNDVS.







TICINI REGII, M.DC.LXV.

Ex Officina Ioannis Ghidini.


DE DIEBVS DECRETORIIS
ET MORBORVM CAVSA CAELESTI
Ad mundandam praeclaram Artis Medicae Profes-
sionem iuxta Summor. Pontif. & Sacr.
Concil. Tridentini Iudicium,
EPITOME ASTROSOPHICA
Physicis maxime rationibus, deinde
Galeni, Aristot. & Ptolemaei
praeceptis connexa:

A

D. PLACIDO DE TITIS
PERVSINO OLIVETANO
In Almo Ticinensi Gymnasio
Mathematicar. Professore
publicè exhibita.

Cum L. Natalium Figuris partim apud grauissimos Authores inuentis, partim ab eruditorum manu traditis.

TOMVS SECVNDVS.



TICINI REGII, M.DC.LXV.
Ex Officina Ioannis Ghidini.



Carlo Sacco Delineò.

Simone Durello fece.



AD EXCELLENTISS. SENATVS
Prouinciæ Mediolanensis
ILLVSTRISSIMOS DD.
D. COMIT.
BARTHOLOMAEVM ARESIVM
Regentem, & Præsidem.

SENATORES.

D. Carolum Patellanum.
D. Ioannem Bragherium.
D. March. Hieron. de Talentis Florent.
D. Don Luysium Franco Carillo.
D. Io. Baptistam de Puteo.
D. Comit. Carolum Archintum.
D. Ant. Mariam Erbam.
D. Ioseph de Loaysa.
D. Sebastianum Ceruelam Caxam.
D. Comit. Vimercati Io. Bap. Siccumborellum.
D. Comit. Carolum Corium.
D. Franciscum Villanum.



Ancitum à Vobis est, firmiterq. statutum, Optimi Patres, inter cætera præclara gerenda, non nisi iúnctis vnà manibus, è ditissimis clementiæ vestræ thesauris ad commodandum de more semper haurire; quip-

quippe quibus vberiori plenitudine vestrorum in clientum sinum infundatis vniuersis generis bona. Quod hactenus mea gratiarum, & pensi refert, ex æthereis pagis, ad quos colendos Magnificentiæ vestræ placuit me locare, comparatas inde pro mei met virium imbecillitate fruges redditurus hic veneranter adsum. Iam priorem de Diebus Decretorijs partem amplecti dextera, illoque regali, quod vestris micat ab humeris paludamento tueri non renuistis: Posteriorem hanc in præsentiarum, & grates relaturus, & patrocinium exoraturus offerens appello læuam, è qua non leuiora fluunt hercle, quam a dextris munera; ad læuam, aio, nunc me verto, dedoque, ratus tot tantisque præsidijs fore me cœlesti Sophiæ pacata mente iuxta votum posse vacare. Diù seruet Vos Deus incolumes, & feliciores in dies ostendat. Diù inquam valeatis.

Ad humanissimum Lectorem.

STrenuus animo vir, & fortis robore, nemo non videt, benigne Lector, sola dextera fultus, id plenitudinis audaciæ corde concipit, & mente, quæ vel ab infenso cætu, vel immani feritate conteri, vel submitti nunquam ille formidet. Alexander Macedo munitissimas hostium arces primus omnium aggrediebatur, & vnus ascendebat, metu funditus pulso: Hercules qualia fuerit ausus & quanta neminem latet, eousq. sanè quo diros etiam Leones discerpturus adoriretur. Verum profectò non sola dextera freti, perinde lævam negligerent, quæ vel scutum gerebant, vel aduersas in partes inimicorum agmina, ferarumq. mandibulas vna cum altera discindebant; gemina quippe virtus potentior. Orionem inter Sidera tum Poetæ, tum Astronomi virum ita fingunt in habitu bellatoris, vt ensem dextera gerat, sinistra, ne missam hanc imbellem facerent Clypeum. Artis medicæ professores pleriq. solo sapientiæ suæ robore cunctos quoslibet morbos quantumuis graues & vehementes à se comprimi, deleriq. posse certò putant, postposita cælestium causarum contemplatione, quam tamen re vera primarij huius artis magistri, vt Hippocrates, Galenus, Trismegistus, aliiq. doctissimi non despexerunt. Imo censeres quod egomet ipse potiorem Astrosophiæ partem ad hanc rem præterijsset vbi iā in vulgato laboris Opusculo de solo Decubitu profiterer; cum tamen ea quæ penes ægrotantes accidunt, Ptolemæo teste, superiorem, & validiorem habent causam in infantis ortu, cuius cælestis constitutio præcognita non tantum ad leuandos ægros, verum & ad seruandos bene valentes aditum pandens mirum in modum præstat. Vlterius porrò iuxta meum institum ingrediens, posteaquam de rebus illis egissem, quæ ad infirmorum & occubentium pertinent curam, & agnitionē,

occasum videlicet quemdam siue dexteram orbis partem lustrassem, vt omnem ambirem hoc, quem assumpsi labore circuitum in præsentiarum ad læuã orientis me cõuerto de natali bus acturus: Videbor vtiq. non vltrò, quin imò retrorsu m ire, quod est à nouissimis ad priora: non ita mi Lector; nam si bene meministi Classes Regis Hispaniarum, & nostri Maximi, cum iamdudum ad occidentales Orbis nuper cognitas plagas iter instituissent circumeuntes vniuersam Tellurem è regionib. Orientis sese nobis reddidere: non dissimile quoddam contingere mihi putes, qui cum è mediterraneo sinu communis vulgatæ sententiæ columnas Herculei freti traijciens exijssem, ea prodidi in iam exposito tomo, quæ medicinæ professoribus faciliora, & clariora publicæ causa boni præstò ad manus in cura languentium videbantur opportuna. Nunc verò, quo totum ad hanc rem opus absoluerem adijcio contemplationem accuratoris diligentiæ, & studij; atq. non modo ad ægrorum valetudinem recuperandam attinentem, verum insuper ad benè valentium cautelam, & præseruationem. En vides, quod ad vlteriora dirigo pedem. Quantum verò lucri salutis hinc accipere quisq. foreut possit, nunquam satis aperirem: vnũ hoc exprimere liceat. Si quilibet nostrum propriæ nouerit mixtionem temperationis, & quibus morbis sibimet ipsi videatur obnoxius ex natalitia cælesti cõstitutione; Si verum sit, quod in dubium reuocare nemini licet, contraria contrarijs expelli, & quod nauus agricola cum Siderum, & Elementorum iniurijs pugnans vel minuit, vel prorsus tollit incommoda; vel si demum illa faueant, ad superfluentem vbertatis cumulum fruges extollit; quis est qui non videat vnumquemq. nostrum, & posse tueri, atq. seruare bonam valetudinem, & minuere, vel abolere molestam siue præsentem, siue futuram? clarius hoc luce Solis nitet. Cæterum iuxta meum morem physicis primò rationibus dissero, deinde summorum Authorum innitor monitis, tandem, quæ disciplinarum omnium iure merito vocatur magistra, ipsa re penes exempla, quippe quæ tradita præcepta declarat intellectui, & ea fucata non esse planè testatur. Nonnulla in hoc secundo Tomo si recogno-

gno-

gnosces, quæ forsitan in superiori te vidisse memineris, ne grauiter quæso feras; nam in illo de themate Decubitus ducta percipies esse; in hoc verò de natalitio. In vniuersum enim plura dantur præcepta, quæ communia ponuntur his duabus constitutionibus; adeoquod non fuerit ab re, imò non minus necessarium nunc ea repetere, quæ maiorem ad rerum dilucidationem inseruire poterunt. Præ cunctis autem illud primum, et maximè te scire vellem, pie Lector; quod sicut æqualitas, ordo & continuatio motus Astrorum suos per Orbes, tùm denique sempiterna lux, quæ iugiter ab eisdem scatet, quæue cuncta videnti, & intelligenti mirum afferunt, declarant adesse sapientissimum, & omnipotentem in vniuerso rectorem, & opificem Deum O. M. & omnia, quæ fiunt in mũdo bona ab eiusdem nutu manare, potissimè verò quæ contingunt hominibus, iuxta illud Prophetæ, in manibus tuis sortes meæ: *ita similiter quæcunq. in hoc, & in alijs huius professionis operibus deprompsi, eidem subesse fateor, & decerno; neq. ad hominis voluntatem Astra pertingere, qui cum omnimoda libertate factus, & missus est; Etenim ijs, quæ docet Ecclesia Sancta, insuper & quæ vera naturalis, & pia ratio suadet, vt parendum omnino duxeram, ita humillimè & firmiter statuo. Vale, & fruere.*



ERRATA

Pag.	linea *tollenda.*	*reponenda.*
.	8. pronuncias	prouincias
4.	30. veneratorū	venenatorum
12.	2. & 3. vespertinæ	vespertini
19.	28. nullus	nullas
27.	4. habet	habent
30.	5. *vnusq.*	*Venusq.*
30.	32. sine	siue
32.	24. inuentiū	intuentium
38.	27. radijs	radij
61.	14. *luminaais*	*lunaris*
73.	vlt. in hac.	in hac re.
89.	15. sensibus	senibus
91.	23. robustio	robustior
110.	1. habent	habet
110.	1. malencholico	melancholico
110.	30. *nimirum*	*nimium*
128	19. notatum	notatu
150.	10. fine defluxu	siue defluxu
151.	34. exsiccandos	exsiccando
154.	2. *omnis*	*omni*
155.	19. quoqui	coqui
165.	25. decationem	dicationem
202.	15. ætatis suæ 33.	ætatis suæ 34.
202.	vlt. locis	loci
204.	4. Annos 33.	Annos 34.
204.	26. aut	at
208.	7. paruam	prauam
210.	12. stenditur	ostenditur
214.	1. liquatu est	liquata est
215.	in culmine. ✱	np
217.	3. contraɛtoine	contractione
217.	10. descendes	descendens
219.	10. in quæ signis	in signis quæ
225.	27. degorem	degerem
229.	24. comparuerit	comparauerit
251.	3. a	ad

Nõnulla alia leuiora menda benignitati Lectoris relinquimus.

DE